

LIBER PRIMUS

PRAELUDIUM

C1_1A v.1 Imposuit nomen parvo formosa libello
 2 candida candoris nomine dicta sui.
 3 Jure tulit titulum, primos juvenilibus annis
 4 ingenio stimulos quod dedit illa rudi.

LIBELLUS PRIMUS CUI BELLA MEDITANTI CUPIDO OBSTITIT ET AMORES DICTAVIT

C1_1B v.1 Certus eram Venetos terra pelagoque potentis
 2 et canere aequorei fortia gesta Ducis
 3 quo modo magnanimae temptarint auspice puppes
 4 excidium rebus, territe Turce, tuis ;
 5 Thracia nocturnis flagrarit ut ignibus Aenos
 6 dives, ut ad patrios praeda relata lares.
 7 Priamidae antiquo Polydori urbs clara sepulchro
 8 victrici Venetum diruta classe ruit,
 9 Quam pius Iliacis fugiens a finibus heros
 10 condidit eique suo nomine dixit opus.
 11 Jam mihi Calliope vires latatura canenti
 12 venerat inceptis annueratque meis.
 13 Risit Amor promptaque ferox cor arundine fixit,
 14 mox abiit tumido tantus ab ore sonus.
 15 Protinus intonsos hedera redimita capillos
 16 venit inaequali clauda Thalia pede.
 17 Tum mihi : "Quid, demens, heroum nomina temptas ?
 18 Aptior est numeris compta puella tuis".
 19 Fata, simul Paphia cingens mea tempora myrto
 20 addit honoratae bacchica sarta comae.
 21 Cui mirum si me rapuit caelestis imago
 22 demptaque libertas illa paterna mihi est ?
 23 Seu spargit flavos per tempora Candida crines,
 24 uror et ardori causa parata novo ;
 25 seu legit in nodum tenui velamine pressos,
 26 seu sinit Aeoliis flatibus ire vagos.
 27 Induitur Tyrias, Tyriis est vestibus apta,
 28 rupe sub Idaea digna movere Parim.
 29 At canit arguta cum mollia carmina voce
 30 Lesbiacam vatem sic cecinisse putes.
 31 Pendula seu Lydo contexit pectine fila

32 Sisyphiam docta vincit in arte nurum.
 33 Quod cum femineas melius Tirynthius artes
 34 tractasset nullam dignus habere notam,
 35 qua cum fatalis melius latuisset Achilles
 36 Candida nimirum vincit utrumque decus.
 37 Illa Jovem summo deducere posset Olympo
 38 sed timet expertas conjugis ipse minas.
 39 Non modo saevus Amor mortalia pectora figit,
 40 saepe etiam magnos vulnerat ille deos.
 41 Si quaeris celeres cur Juppiter egerit alas,
 42 impulit ornati candida forma Phrygis,
 43 in faciem nivei falsam mutatus oloris
 44 horridaque in torva cornua fronte tulit.
 45 Cynthius Amphrysum vaccas appellit ad amnem
 46 Pastoris vili subditus officio ;
 47 Delia fraternos quidnam mirare capillos
 48 post humeros turpi procubuisse situ ?
 49 Occiso quamvis Phytone superbiat, arcu
 50 dextera Phoebeo certior una fuit.
 51 In Lare formosus misera Caducifer arsit,
 52 garrula supplicium cui grave lingua tulit.
 53 Inclytus Alcides immania monstra subegit
 54 vellera quem Lydus neve coegit Amor.
 55 Denique si capimus superos exempla per omnis
 56 rarus ab immiti tutus Amore fuit.
 57 Sed mihi nec tantum nocuere Cupidinis artes
 58 Quam nimis ad mores quod facit ille meos.
 59 Pieriae oderunt ut corda severa puellae
 60 sic tener est animis mollibus aptus Amor.
 61 Rustica grandiloquum tenuit Galatea Maronem
 62 Thestylis et flavas solibus usta comas,
 63 mox tamen Aenean Latios advexit in agros
 64 et cecinit Rutuli fortia gesta ducis.
 65 Irrigui argutus cecinit Sulmonis alumnus
 66 ornatum formae, culta Corinna, tuae.
 67 Delia detinuit cultum formosa Tibullum,
 68 Lesbia fax cordis, docte Catulle, tui est.
 69 Cynthia primus amor carpit te, blande Properti,
 70 contactum nullis ante cupidinibus.
 71 Perque nives, altum perque horrida castra secuta
 72 te misere addictum, Galle, Lycoris habet.
 73 Novimus et vates quos tempora nostra tulerunt
 74 Aligeri flammis incaluisse dei :
 75 Cynama Pontano redolentis nomen amomi,
 76 Anthia cara fuit, Vespasiane, tibi :
 77 hic agit afflictis suspiria nuntia cordis,
 78 hic rogat effugiens qua lepus egit iter.
 79 Cosmicus ingenuos passim decantat amores
 80 nec quisquam Latio clarior orbe viget,
 81 sive velit Tusco, Latio vel carmine dexter
 82 Pindarica malit ludere sive cheli.
 83 Vivebat liber cura tranquillus ab omni,
 84 nullius insidias, nullius arma timens,
 85 vincla sed imprudens init insidiosa Tiphernus,
 86 mox insperati vulnus amoris habens.
 87 Quare ego nequitia cur sim culpabilis ista,

88 cum servet mores cetera turba meos ?
 89 Dum patitur viridis senii sine sordibus aetas
 90 Hoc opus, haec nostri cura laboris erit.
 91 At simul hos lusus matura fugaverit aetas
 92 albentes poscent et graviora comae,
 93 tum licet armatas ad Martia bella cohortes
 94 instruat imparibus Musa severa modis.

PUELLAM CANDIDAM NUPER IRATAM QUERITUR AMORI SUO MINIME RESPONDERE

Cl_2 v.1 Illa dies, qua sum fatali captus amore
 2 haesit et in vacuo pectore flamma rapax,
 3 fusca, suum Phoebos radiis minuente vigorem,
 4 nec mihi consueta luce serena fuit.
 5 Hac mihi crediderim sidus micuisse sinistrum
 6 exitiique horam praemonuisse mei.
 7 Perfide sic igitur servas promissa Cupido ?
 8 Ah pereat posthac si quis amare volet.
 9 Durus et asper eram nullaque domabilis arte
 10 omnis et in pectus vana sagitta meum.
 11 Me mihi servitii tandem spes mitis ademit
 12 et posui placido colla novella jugo.
 13 Nec levitas culpanda nimis mea : fortior ista
 14 fraude capi, hac poterat durior arte capi.
 15 Par mihi Ledaee facies oblata puellae
 16 dicitur attonito qua placuisse Phrygi.
 17 Quam miro flavos collegerat ordine crines,
 18 area quam laetae candida frontis erat !
 19 Certabant oculi flammis caelestibus acres
 20 accendit rapidas unde Cupido faces ;
 21 labra rosas, dentes ebur, aurea mala papillae
 22 vincebantque genae lilia, colla nives.
 23 Obtutu facilis primo vultuque modesto
 24 laeta decensque hilari risus in ore fuit.
 25 His ego blanditiis laqueos plectus inivi,
 26 his usa est aliquot vafra puella dies.
 27 At me felicem fortunatumque putabam,
 28 nec juvenum in patria laetior ullus erat.
 29 Nunc feror huc illuc stimulis agitatus amaris
 30 et levis in gravia est taedia versus amor.
 31 O utinam primis clausissem raptus in annis
 32 servatos nobis ad mala sola dies !
 33 Tum mea debuerant fatales fila sorores
 34 solve, nec pulla stamina nere colo.
 35 Sors mala mortalis tandem mihi cognita vitae
 36 quae fortunatos non sinit esse diu.
 37 En ego, qui felix teneri modo miles amoris
 38 bellica sub miti principe signa tuli,
 39 cui modo dilecta favit cum matre Cupido
 40 praetulit et cunctis Candida fida procis,
 41 exul agor dominae clausumque relinquere limen
 42 cogor et a surda protinus ire domo.
 43 Cum videt ex alta me Candida saeva fenestra
 44 e nostro celeri diffugit ore pede,

45 aut caput ornatum post lignea retia condit
 46 frustratum ridens praetereuntis iter.
 47 Seu dum templa petit cara comitata parente
 48 occurro latas obuius ante vias,
 49 opponit nostris immitia carbasa votis
 50 celatas velo circumeunte comas.
 51 Quoque magis latet illa, magis furiale videndi
 52 flagrat et insano pectus amore perit :
 53 sic jam poturus fugientis Tantalus undas
 54 optat, et in vanas porrigit ora dapes.
 55 Discrucior miseroque incendia pectore verso
 56 acrius inque dies me feros urget amor.
 57 Saepe cor invisio procul est a corpore et amens
 58 absentem in dominam mens mihi fixa manet.
 59 "Sic nunc illa sedens thalamis inclusa pudicis
 60 Palladium facili pollice versat acum ;
 61 et sic ingenuis manibus velamina pingit
 62 Candida compositas implicitura comas ;
 63 sic tenui caram nutricem voce salutatur
 64 sic fovet et matris saecula cana pia".
 65 Haec ego, quaeque aliquis nimio vesanus amore
 66 confusa secum volvere mente solet.
 67 Nocte tamen peius gliscenti torqueor igne,
 68 nocte nec ad curas aptior hora vacat.
 69 In viduo patior mendacia somnia lecto,
 70 mollia saepe meus colla lacertus habet.
 71 Ulteriora pudet linguam narrare pudicam,
 72 eveniunt quamvis ulteriora mihi ;
 73 vana sed elusae Veneris simulacra cientur
 74 et levis optatum mens sibi fingit opus.
 75 Sic male vexato curis gravioribus atra
 76 nocte datur Phoebo nulla micante quies.

IRATAE CANDIDAE IRACUNDIAM LENIRE NISUS ILLI SE PRORSUS DICAT

C1_3 v.1 Fare, age, sollicitum quae causa coegit amantem
 2 linquere ? Sic facilius sit Cytherea tibi ;
 3 quodque cupis potius, tibi sic tua Delia semper
 4 nonnullam comitum censeat esse parem.
 5 Infelix merui tales quo crimine poenas,
 6 impia quae potuit culpa nocere mihi ?
 7 Nullus tam sancto dilexit amore puellam
 8 seu veteres quaeras, lux mea, sive novos.
 9 Sic Venus efficiat nostris moveare querelis
 10 ut mea sincera est et sine labe fides.
 11 Te mihi surgentis junxerunt fata per annos,
 12 duret amor tempus noster in omne velim.
 13 Forsitan obscena flagrare cupidine credas
 14 vulgarem turbae perfidiamque sequi,
 15 cui simul optatae concessa est copia formae
 16 promissam expleto frangit amore fidem.
 17 Sic mihi dii superi faveant, placata Dione
 18 conciliet nati numina saeva sui ;
 19 prospera sic servent canam tibi fata parentem

20 quae superet curvae saecula Deiphobes :
 21 tecum ego Nestoreos optarem vivere ad annos
 22 inque tuo fusus vita perire sinu,
 23 Osculaque extremis jungens repetita labellis
 24 exhalare animam te lacrimante meam.
 25 Legitimae sancto jungant nos foedere taedae
 26 et vellem thalami vincula firma forent,
 27 nos cupio jungat longos Hymenaeus in annos,
 28 ille maritales praeferat ante faces.
 29 Nec tamen ulla facit cur sim tibi causa pudendus :
 30 aptius Aonio quem tibi vate legas,
 31 carmina cum faciam longum victura per aevum,
 32 det mea cum nomen musa perenne tibi ?
 33 Aspicias ut priscam versu cantante Corinnam
 34 Paeligni vatis saecula nostra colant ?
 35 Smyrneae ante cadent sublimia templa Dianae
 36 et Capitolino templa dicata Jovi.
 37 Nec Mausolei memorabitur ulla sepulchri
 38 gloria, pyramidum concidet altus apex,
 39 quam rapiant Nemesim Lethaea obliviam quamque
 40 Cynthia laudanti desinat ore legi.
 41 Nec tamen antiquis ideo temerarius ausim
 42 ingeniis nugas aequiparare meas,
 43 sed quoniam tenero sum non alienus amori
 44 nolet opus vatis forte perire sui.
 45 Heu promissa tibi Musae nil gloria prodest
 46 at vacua exclusum porticus ecce tenet !
 47 Saxa Cithaeronis Thebanos concita muros
 48 fama refert dulci constituisse lyra
 49 Orpheaue Odrysio modulantem carmina plectro
 50 et nemora et saevas detinuisse feras.
 51 Saxa igitur durumque nemus potuere ferasque
 52 vertere non animum carmina blanda tuum.
 53 Ni cupis emoriar, mihi sis non dura necesse est :
 54 tu causa es vitae, tu necis una mihi.
 55 Non, Cyziceas mittar si nudus in undas,
 56 pectore de nostro tantus abibit amor ;
 57 seu me Lethaeo totum sub gurgite mergam,
 58 non potero vultus non memor esse tui.
 59 Quod si forte tibi sim culpa noxius ulla
 60 quas mereor poenas non mihi ferre grave est.
 61 Nec dubita inkompto digitis laniare capillos
 62 procumbam placidos si sinis ante pedes ;
 63 unguibus ora nota, veniam modo redde petenti
 64 jurgiaque in miserum quaelibet adde caput.
 65 Vel jubeas Aetnae rapidos me mittere in ignes
 66 Leucadia, aut praiceps mergere corpus aqua,
 67 fortibus aut Sicularum remis superare Charybdim,
 68 aut Scyllae audaci naufraga monstra rate,
 69 dum redeas placata mihi non saeva recuso
 70 verbera, quaeque gravis poena futura levis.

AD AMICUM PUELLAE RUFFAE FACIE CAPTUM
 QUI EUM PRIUS AMORI CANDIDAE SUAE VACANTEM IRRIDEBAT

C1_4 v.1 Qui modo ridebas insanum liber amantem
 2 nuper ab insano raptus amore furis.
 3 Nec pudet irata coram lacrimare puella
 4 projicere ad clausas verbaque blanda fores.
 5 Sic nimis infestos Deus hic ulciscitur hostis
 6 et major subita tarda ruina venit.
 7 Tristis eram, memini, laesa si forte puella
 8 laetitiae fuerat nostra querela tibi,
 9 tum me femineo dicebas vivere sensu
 10 atque animum cura sollicitare levi.
 11 Ibas indomita totam cervice per urbem,
 12 nec tenuit gressus porticus ulla tuos.
 13 Ruffa animos potuit tandem superare feroces,
 14 haec spolium capti militis una tulit.
 15 Acriter ardentis in te coniecit ocellos,
 16 indixit crocea saevaue bella coma.
 17 Est illi croceus color, est odor, urit uterque
 18 triste cor, affligit pectus uterque tuum.
 19 Dirus amor telis atrociam talibus infert
 20 proelia, bellanti sunt ea pila deo.
 21 Parva putes, rutilis sed Mars violentus in armis
 22 haec una expertus plus valuisse suis.
 23 Protinus attonito fortes cecidere lacerti
 24 in gelido nullus pectore sanguis erat.
 25 Ureris inque dies majorem concipis aestum
 26 et corde, in vacuo vulnus inane foves.
 27 Utque jecur Tityi aeternum semperque renascens
 28 per septem strati jugera vultur edit,
 29 sic inconsumptas exurit flamma medullas
 30 nec requies animo redditur ulla tuo.
 31 Ergo magnificos Ruffae decet ire triumphos,
 32 ingenium potuit sola domare ferox.
 33 Praebeat huic currus fortis Cytherea mariti
 34 quis juga sint niveis aurea vincta cygnis.
 35 Tum faciles una circumvectentur amores
 36 qui jaciant certa spicula acuta manu.
 37 Ipse adamantea vinctus captiva catena
 38 brachia post dominam conspiciendus eas.
 39 Inde puellaris tanta ad spectacula coetus
 40 plaudat, io laeta carmina voce canens,
 41 quarum si qua tuis decepta est fraudibus olim
 42 gaudeat incautos succubuisse dolos.
 43 Irridere sacrum non audeat ullus amorem
 44 aut sciat immemorem non violasse deum.
 45 Juppiter est Semele exustus, deus aequoris alti
 46 solvit Amygone vota petita suae,
 47 Persephone Stygiis Plutoni abducta quadrigis
 48 Infera ne molli sit sine amore domus.
 49 Ergo qui poterit vitare Cupidinis arcus
 50 is vel ab extremo funere tutus erit.

QUERITUR SE AMORE TANTO AFFICI UT FERRE NON POSSIT VERITUS
NE ALTERI SUA CANDIDA SPONDEATUR

C1_5 v.1 Ecquid erit quandoque meo modus ullus amori ?
 2 Ecquid erit lacrimis ultima meta meis ?
 3 An mihi nascenti Clotho dedit impia sortem
 4 semper ut in nostro pectore regnet amor ?
 5 Jam mihi nulla quies grata est, jam nulla voluptas,
 6 nulla mihi siccis ducitur hora genis,
 7 sive dies agitur medioque vagantur Olympo
 8 quos Phaethon quondam non bene rexit equi,
 9 cincta papavereis seu tempora frondibus atra
 10 invehitur fuscis nox taciturna rotis.
 11 Nil nisi flere juvat nec quae prius esse solebant
 12 grata placent, pectus sed grave virus edit.
 13 Non libet arboreos indagine cingere saltus,
 14 ducere non celeres per juga summa canes.
 15 Frigida frondosae nil me juvat arboris umbra,
 16 aut crepitans rivi praetereuntis aqua,
 17 Phoebeumque licet possim sedare calorem
 18 nulla Cupidineas sublevat umbra faces.
 19 Si tamen interdum stimulis agitated amoris
 20 rura peto, curas ut via longa levet,
 21 Candida succurrit flavis spectanda capillis
 22 ante oculosque, absens, creditur esse meos.
 23 O quotiens viridi descripta in cortice gratae
 24 arboris est gladio Candida cara meo !
 25 Et quoniam dominam cupidis retinere lacertis
 26 non datur, in nomen brachia vincta fero
 27 hoc ego complector supplex, huic oscula jungo,
 28 sed rigidus cortex ulteriora vetat.
 29 Tum sine fine queror demens, Dryadesque videntur
 30 commotae nostris ingemuisse malis,
 31 arbor et a summo concussa cacumine nutat
 32 utque potest gemitus fundere, fronde gemit.
 33 Infelix tandem male languida membra repono
 34 herbaque dat fesso molle cubile mihi.
 35 Multa super pharetra duroque Cupidinis arcu
 36 perpetuos gemitus pectore dante queror.
 37 Candida mi cunctis formosior una puellis,
 38 o praestans vultu candidiore nive,
 39 o eadem asperior saeva mihi facta leaena,
 40 o de montano nata puella lupo.
 41 Anne meis unquam cingam tua colla lacertis,
 42 colla quidem Cnidia candidiora dea ?
 43 Oscula num potero Paestanis floribus aequa
 44 ferre vel a magno principe digna peti ?
 45 Anne umquam dabitur tantos narrare labores
 46 languenti in gremio, Candida cara, tuo ?
 47 O nimium felix teneri cui munera floris
 48 cuique feres thalami gaudia prima novi !
 49 At quantum felix alius, te conjuge, fiet,
 50 infelix sine te, lux mea, solus ero !
 51 Hora mihi tanti veniet cum nuntia luctus
 52 alterius fies qua nova nupta viri,
 53 tum mea dissolvant fatales fila sorores,

54 sic detur lacrimis ultima meta meis.
 55 Nam sine te nolim minimam vixisse vel horam,
 56 at tecum Pylia saecula cana ducis ;
 57 Deiphobes vellem curvae tibi longa daretur,
 58 Laomedontei vel mihi vita senis.
 59 Tempore mox pariter fidi moreremur eodem,
 60 jacturam socii questus uterque tori.
 61 Ante tamen morerer, manibus tu tristis ocellos
 62 formares tremulis jam moritura meos,
 63 perlueresque meum fontano rore cadaver
 64 extincto et capiti myrtea sarta dares,
 65 osculaque apposito figens suprema feretro
 66 sidera clamares nomen ad alta meum.
 67 Marmoreo condens tum corpus inane sepulchro
 68 disposito, lacrimas cunctaque justa dares.
 69 Ipsaque mox moriens extrema voce juberis
 70 misceri nostris ossibus ossa tua.
 71 Dehinc tumulo carmen jussus superadderet heres
 72 grandibus atque foret littera caesa notis :
 73 "Hic quos una fides olim servavit amorque
 74 mutuus extinctos condidit urna duos".
 75 Heu mihi quam fallax miserum spes tollit amantem
 76 Aeolii rapiunt jam mea vota Noti.
 77 Nescio quem praeferre mihi te Fama susurrat
 78 in tota rumor jam malus urbe volat.
 79 Jam mihi nescio quis dixit : "Tua vita marito
 80 jungitur, alterius sponsa futura viri,
 81 quae te sollicitat curas noctesque diesque
 82 qua sine te nunquam vivere posse putas".
 83 Rumor ad invitas pervenerat impius auris
 84 attonitum gelido frigore pectus erat.
 85 Anne meis aliquem patiar succedere regnis ?
 86 Sint potius vitae tempora summa meae.
 87 Ismarius quondam per mille pericula vates
 88 pro cara haud timuit conjuge ferre pedem,
 89 non Phlegethontas flammis torrentibus undas
 90 expavit, fuscas non Acherontis aquas.
 91 Abstulit Hippodamen audaci Isione natus
 92 fortiter a furiis, Eurice saeve, tuis.
 93 Pro gemina fortes Leucippide frater et Idas
 94 tristia collata bella tulere manu.
 95 Quam grave sit juvenem cara spoliare puella
 96 testis erit Gaio diruta Troja dolo.
 97 Hanc animam potius per vulnera mille profundam
 98 alterius quam sis ipsa puella viri.
 99 Tu prior insuetum sentire Cupidinis arcum
 100 fecisti : ut fas est, tu mihi finis eris.
 101 Quod mihi si pro te sint bella gerenda verebor
 102 dum potiar thalamis vulnera nulla tuis.

FELICITATEM SUAM CANDIDA INIUSTE IRATA MAGNO MAERORI
 CONCESSISSE LAMENTATUR

2 e rapidi natam fluctibus esse maris,
 3 non frustra cum Marte deam concumbere saevo
 4 sanguinea miscet qui fera bella manu.
 5 Errat enim dubio Veneris victoria bello,
 6 non eodem semper flamine vela tument,
 7 infortunato modo quae spirabat amanti
 8 in medio cymbam deserit aura salo.
 9 Nec possum sospes tutos attingere portus,
 10 vela per incertas diripiuntur aquas.
 11 Jam jam ducturus parcos ex hoste triumphos
 12 cogor inexpleto carpere Marte fugam.
 13 Candida dum vultu tenuit me blanda sereno
 14 et thalamo dignum censuit esse suo,
 15 sorte mea cunctos juvenes anteire videbar
 16 quod mihi contigerat digna puella Jove.
 17 Quam multi petiere proci mihi solus habebam,
 18 heheu tum multis invidiosus eram.
 19 Nulla mihi fuerat nisi cura placere puellae
 20 utque foret longo tempore firmus amor.
 21 Haec si forte meos placidis spectarat ocellis
 22 tangebam planta sidera summa levi.
 23 Hanc praeter poterat mihi nulla placere, nec umquam
 24 haec mihi neglecto vilis amore fuit.
 25 Si mihi tunc aliquam superis misisset ab oris
 26 Juppiter, hanc illi praepositurus eram.
 27 Jamque adamantea me vinxerat illa catena
 28 firmaque perpetuus vincla pararat amor,
 29 cum levis eventu nimium Fortuna sinistro
 30 opposuit votis se truculenta meis.
 31 Tum fera nescio qua mota est levitate puella
 32 clausit et indignas illa superba fores.
 33 Ast Amor hac causa ventosas scilicet alas
 34 gestat, et aerium pervolat altus iter,
 35 scilicet acer amor non una in sede moratur,
 36 errat, et in certo non manet ille loco.
 37 Perfida quod mulier cupido promittit amanti
 38 unda vel in summo pulvere terra notet,
 39 attamen hos semper servavit femina mores
 40 nata ad fallendos est ea turba viros.
 41 Non timuit Phrygium, deserto conjuge, moechum
 42 perfida diverso Tyndaris orbe sequi.
 43 Illa tamen precibus flexa est fatisque dabatur
 44 Idaeum peteret Graia juvenca nemus.
 45 Num ferus hac aliquis saevaque e tigride natus
 46 assidua potuit me spoliare prece ?
 47 Quae me cum domina potuit committere dolci
 48 lingua, potest certe quodlibet illa nefas :
 49 Penelopen caro divertere posset Ulyxe
 50 aque viro Euadnem dissociare suo.
 51 Hac fingente nefas odisset candida, rupto
 52 foedere, Phyllaciden Laodamia pium.
 53 Haec prius Ismarii dextram sentire tyranni
 54 digna fuit tantum ne scelus ausa foret.
 55 Nunc mihi longa dies, nox longior esse videtur,
 56 nulla voluptatis causa relictam mihi.
 57 Durius invitam nihil est quam velle puellam

58 flectere, temptantem maxima cura subit.
 59 Quoque minor spes est tanto magis ardua gliscit
 60 flammaque solliciti pectoris ima tenet.
 61 Sive dies igitur, fuscis seu cincta tenebris
 62 nox ruit, insomni nil nisi flere subit.
 63 Quo fueram solitus dilectum limen adire
 64 tempore, nunc lacrimans tristia damna queror.
 65 Multa queror vitaeque meae me paenitet atque
 66 longa nimis Lachesim ducere fila piget.
 67 Invehor in superos arcanaque fata deorum
 68 dum poteram felix non potuisse mori
 69 cum subit illa dies pullo signanda lapillo
 70 qua mala sunt cordi vulnera facta meo
 71 quaque nitens rutilis me Candida cepit ocellis
 72 insueto flavas ordine compta comas.
 73 Squalida praecipites lacrimae labuntur in ora
 74 cogor et in laceras unguibus ire genas.
 75 Quod nisi succurrant vel fata vel astra furenti
 76 nescio quod laeva me manet omen ave.

LUXUM QUO PUELLAE SUPERBIUNT DETESTATUR
 VETUSTISSIMAE AETATIS AUREAE TEMPORIBUS COMMENDATIS

Cl_7 v.1 Sidonio vestes primus qui murice tinxit
 2 eripuit miseris, heu, bona quanta viris !
 3 Coepit Erythraeo mitti cum litore concha
 4 gemmaque in Eoa quam legit Indus humo.
 5 Ex illo vexare procos didicere puellae
 6 cogere et a duro limine ferre pedem.
 7 Tum primum assistens foribus custodia clausis
 8 opposita miseris iussit abire sera.
 9 Candida dum viles humilis mea gessit amictus
 10 quem proba se dignum crederet unus eram.
 11 Mi faciles uni semper patuere fenestrae
 12 inque meo nullam vidit amore notam.
 13 Ast ubi nubilibus facta est maturior annis
 14 et de corrupto pectore pulsa fides,
 15 textit honoratum tunica Sidonide corpus
 16 intempestivis sollicitata procis.
 17 Mox ego qui, fastu nondum retegente latentem
 18 perfidiam, cunctis carior unus eram
 19 pellor et occluso fiunt mihi jurgia poste :
 20 ceu numquam vultus viderit illa meos !
 21 Qui modo prae cunctis fidus credebar amator
 22 crimine nunc coepi perfidus esse novo
 23 et mea me centum jactat servire puellis
 24 femineo fraudes Candida more parans.
 25 Nam simul incertae venere in taedia menti
 26 causa repellendis haec solet esse procis,
 27 scilicet innumeros peperit nova vestis amantes
 28 et nobis comptas praetulit illa comas,
 29 quaeque suos mulier cultu metitur amores
 30 et fit ab ornatu quaeque superba suo.

31 Ah genus inconstans et nulla mobile causa !
 32 Dispeream perstat si qua in amore diu.
 33 Felices nimium quos aurea protulit aetas :
 34 his data perpetuis est pia vita bonis.
 35 Antra domus fuerant rigido pendentia topho
 36 sylvaque communes omnibus alta casae.
 37 Corpora sub divo durantes nuda ferebant
 38 cuncta nec obproprio membra videre fuit.
 39 Mora dabant victum dumoso excussa rubeto,
 40 difficilis querna glande soluta fames.
 41 Illis nulla fuit telluris cura colendae,
 42 terra sua cunctas sponte ferebat opes.
 43 Omnibus unda sitim potu sistebat inempto
 44 haustaque de gelido flumine nectar erat.
 45 Errabant per agros nullo custode puellae
 46 sylvestri passim simplicitate rudes.
 47 Una sibi solum satis esse putabat amantem,
 48 tunc erat infandum crimen habere duos.
 49 Saepius umbrosis Venerem junxere sub antris
 50 natura insuetos percipiente modos.
 51 Saepe aliquis niveam tauro subigente juvencam
 52 optata didicit conjuge posse frui.
 53 Curabant magni mortalia pectora divi,
 54 virgo nec exoso cesserat orbe pia.
 55 Juppiter errabat per amoenos maximus agros
 56 gratior huic caelo terra fuitque diu.
 57 Simplicibus mixti superi mortalibus ibant
 58 noxius et nullo crimine mundus erat.
 59 Tum Venus insontem non corrumpentibus orbem
 60 insidiis magnos jussit amare deos.
 61 Juppiter Inachidem per florida prata vagantem
 62 pressit et Europam trans freta salsa tulit.
 63 Tunc etiam Euadne dilecto fida marito
 64 misit in ardentis se peritura rogos.
 65 Jactatum dubiis longinqua per aequora ventis
 66 excepit reducem Penelopea virum :
 67 lusit amatores pietas uxoria Graios
 68 estque Ithacum mendax tela morata ducem.
 69 Occidit Alcestes pro caro fida marito
 70 ne Stygias conjux aeger adiret aquas.
 71 At mala nescio quos servant haec saecula mores,
 72 antiquis similis nulla puella viget.

PAMPHILAM CANDIDAE SUAE ANCILLAM ORAT UT DOMINAM IRATAM CONCILIIET

Cl_8 v.1 Pamphila, curarum quondam mihi sola levamen,
 2 conveniens rebus quae bene nomen habes :
 3 (in te fixit enim totus sua regna Cupido,
 4 aptior est blandis nulla puella jocos),
 5 visa meae dominae servire fideliter una,
 6 una ministerio digna reperta pio,
 7 cui non ipse suam praeferret Juppiter Heben
 8 quam natam Juno mallet habere sibi,
 9 sedula jucundas dominae deferre tabellas,

10 custodem multis fallere docta modis,
 11 si memor es nec te mutarunt impia nobis
 12 fata, nec ex omni spes mihi parte cadit.
 13 Multa meo dominae nutu mandata ferebas
 14 dum naret placido nostra carina mari.
 15 Tempore quo peterem docuisti limina tutus
 16 occultisque darem conscia signa notis,
 17 ne vesana domo prospectans mater ab alta
 18 cerneret assiduum praetereuntis iter.
 19 Crevit amor per te noster tenuisque favilla
 20 edidit, heu, rapidam protinus aucta facem,
 21 visceraque invasit correpti pectoris aegra,
 22 quo numquam, infelix, vulnere sanus ero,
 23 quod non Phoebeus variis Podalirius herbis
 24 sanaret, magicis Colchave nupta sacris ;
 25 saneturque licet, tamen est mansura cicatrix
 26 quae mihi perpetui vulneris instar erit.
 27 Ergo ego cum per te rapidos sim missus in ignis
 28 sic etiam per te restituendus ero
 29 immitesque feri sentire Cupidinis arcus
 30 quando quidem semper mea fata volunt,
 31 servitium iratae facias mihi mite puellae
 32 aspera nescio qua quae ratione mihi est.
 33 Quod te per Venerem quaeso castamque Dianam
 34 et dea si votis aptior ulla tuis.
 35 Illius ante pedes supplex procumbe verendos
 36 immitem ponat saevitiemque roga.
 37 Ipsa patrocinium vexati sume clientis
 38 tuta sit auxiliis ut mea causa tuis.
 39 Sic mihi dii faveant et te pia numina servent,
 40 sic per te noster concilietur amor.
 41 Ut merui nullo tales ego crimine poenas
 42 sit mihi, si fallo, durior illa diu.
 43 O te quale manet servati munus amantis
 44 cesserit illa tua si modo victa prece !
 45 Non erit in tota felicior urbe puella,
 46 augebit titulos gloria tanta tuos.
 47 Adjiciam Veneris sacra quoque carmen in aede
 48 turba puellarum quod male fida legat :
 49 "Pamphila placavit duram facunda puellam
 50 ne miser indigna tabe periret amans".

ELEGANTIS FORMAE COMMENDATIO

C1_9

v.1 O binas oculos faces,
 2 o flavas capitis comas,
 3 o vultus roseas genas !
 4 Felicem quater et nimis
 5 cui mellita labellula
 6 Hyblaea et dabis oscula !
 7 Inclusam hic thalamis suis
 8 complexus rigidas minas
 9 spernet fulminis et freti
 10 fluctus indomiti feros,

11 tutus Martis et impii
 12 pugnas effugiet malas.
 13 Tu conjux aliquem puto
 14 vel summum facies deum.

LAMENTATIO LUGUBRIS IOANNIS BONONII FRATRIS POETAE MORTE
 HEU IMMATURA PRAEREPTI

C1_10 v.1 Nostra licet titulus praescribat nomina nullus
 2 nota tamen queruli carmina vatis erunt.
 3 Ille ego sum dum laetus eram qui laeta canebam,
 4 si mea sors aliquo tempore laeta fuit.
 5 Sed semper mihi vita fuit maestissima, nec quae
 6 nubila non fuerit contigit ulla dies.
 7 Tempora si primo recte numeramus ab ortu
 8 exacta est lacrimis prima juventa mihi.
 9 Immatura piae sum questus fata parentis
 10 maluit infelix cui comes ire pater.
 11 Nec tamen hi fato canae periere senectae
 12 extremus cunctis quae solet esse modus.
 13 Non tulit hos frater medica celeberrimus arte
 14 ante diem solos interiisse suam,
 15 confectusque simul gemitu Thaddeus amaro
 16 rupit fatali stamina pulla colo.
 17 Vix ierant veteres aegro de pectore curae :
 18 oblitis subiit luctibus acer amor
 19 qui me dum tenuit letali vulnere fixum
 20 ducta nec est felix vel brevis hora mihi.
 21 Non est qui misero doleat magis ullus amante
 22 quem pigeat vitae saepius atque suae.
 23 Quamvis aerii saxosa cacumina montis
 24 alta per et durus flumina miles eat,
 25 ferrea suppositos urat lorica lacertos
 26 debilitetque agiles longior hasta manus,
 27 huic tamen exacto dulcis victoria bello
 28 postmodo perpetua pace fruenda venit.
 29 Rarus amans finem sperato ponit amori :
 30 huic lacrimae gemitus continuusque dolor.
 31 Inter ego has <res parvas> funera dira meorum
 32 aetatis traxi tempora prima meae,
 33 atque utinam nimium jacturis laesus acerbis
 34 nunc quererer prisco damna minora malo !
 35 Diis aliter visum est qui me spoliare Joanne
 36 intempestivam sustinuere necem.
 37 Quinque miser sexto vix lustra ineunte fugarat :
 38 tabe juventutem debilitante perit,
 39 deserit et geminos dulci cum conjugate natos,
 40 vivit materna de quibus alter ope
 41 editus ignoto genitore miserrimus infans,
 42 proh pietas, alitur munere matris adhuc ;
 43 alter et hoc paulo major qua voce parentem
 44 conclamare potest alta sub astra vocat.
 45 Vix, credas, quis enim puerum sentire putaret ?
 46 Sentit praereptum conqueriturque patrem.

47 Elicit huic miseros genitrix maestissima luctus :
48 flens lacrimas pueri suscitatur illa graves.
49 Hos ego, vel si non fraterno tangar amore,
50 protinus in fletum commiseratus eo.
51 "Siste graves", inquam, "gemitus, miserabilis uxor,
52 juncta infelici pene puella toro.
53 Sola domi teneros fuerit servare nepotes
54 cura tibi, cunctos sit mihi cura foris.
55 Vos ego dilecti de more parentis amabo,
56 vos ego dilecti more parentis alam.
57 Nec Bernardinus frater modo vita supersit
58 vivere vos orbos et sine patre sinet,
59 cujus opem pietas perituro sedula fratri
60 porgeret ut medicam nocte dieque fuit".
61 Proh dii, quanta fuit longi violentia morbi
62 sistere quam doctae non potuere manus !
63 Heu, nihil invitis prosunt medicamina fatis
64 unicuique suam quae statuere diem.
65 Sollicitus frustra rapidos vitaveris aestus
66 Icarius tostam cum Canis urit humum.
67 Effuge Sithoniasque nives glaciemque rigentem,
68 non tamen extremo surripiere rogo.
69 Qui fuerit vitam rigidis, positurus in armis
70 incassum miles bella cruenta fugit.
71 Naufragium saxo facturum nauta Cerauno
72 tranquillam frustra scindere quaerit aquas.
73 Persephone jussit veniam dare nescia cuiquam
74 nos omnis Stygio devehat amne Charon.
75 Vix bene in invisam infans caput extulit auras
76 hac videt infaustam conditione diem.
77 Nec facies, aetas, aurum virtusve genusve,
78 Cerbereis quemquam faucibus eripiunt.
79 Irrita languenti prosunt nec pharmaca, leges
80 excisae rigido stant adamante ferae.
81 Humanis natura bonis invidit et aegros
82 mortales superis noluit esse pares.
83 Frater in exemplo es prima fraudate juvena
84 cui nihil, heu, medicae profuit artis opus.
85 Cornua bisquinum Phoebe curvavit in orbem
86 dum premis invisum languidus usque torum
87 sollicitasque tuis caelestia numina votis,
88 quandoquidem solet his ultimus esse locus.
89 Mox ubi jam lapsae restat spes nulla salutis
90 vicinaeque patent proxima signa neci,
91 diverso statuis caelo temptare salutem
92 inque alium patria cedere ab urbe locum.
93 Quid facis infelix ? Alia morieris in urbe
94 adsit et, heu, fratrum qui tibi nullus erit.
95 Ire tamen certum est, monitis parere nec ullis
96 ibimus, haec cura est ultima quando tibi.
97 Exit apud montes Patavinum flumen amoenos
98 Euganeum a gelida qua petit alpe solum.
99 Bassanum veteres illic statuere coloni,
100 vicinis rident omnia laeta jugis.
101 Jam miser huc habili lectica invectus abibat
102 et patriam certae linguere mentis erat.

103 Mira canam : cornix tenues delapsa per auras
104 edidit infausto carmina laeva sono,
105 haeserat anterior lecticae quique trahendae
106 limen ad offensum concidit ictus equus.
107 Huc ubi perventum, subito qua mente revertor,
108 heu partem linquo pectoris ipse mei.
109 Stare jubet pietas illinc sed abire necesse
110 in varias animus diripiturque vias.
111 Hic frater mihi quo fuerat non carior alter,
112 hic mihi sed fuerat tota relictata domus.
113 Paulatim exanimes linquebat spiritus artus
114 vixque aliquot fessus traxerat ille dies.
115 Exiit assiduis tandem cruciatibus actus
116 exceptus Stygia spiritus estque rate.
117 Spiritus Aoniis, eheu, sacer ille Camenis
118 fugit ad Elysiam non rediturus humum.
119 Esse quid hoc dicam (num divos ? Sidera ? Fatum ?)
120 Sit status ut fragili nullus in orbe bonis ?
121 Vivere Nestoreos fuerit qui dignus ad annos
122 exiguum claudet lubrica vita diem.
123 Qui fuerit dignus natali luce necari
124 durabit magnos despicietque deos.
125 O ego quam mallet fieri Marpesia cautes
126 laederet ut nullus saxea membra dolor !
127 Infelix Niobe cum bis sex funera vidit
128 at felix casu postmodo facta novo.
129 Imposuit finem lugubribus illa querelis
130 tristia cum tegeter candidus ora lapis.
131 At mihi perpetuos versu variante labores
132 infortunatae damna querenda domus
133 quae veluti nunc cymba suo spoliata magistro
134 errat et implacidis acta vagatur aquis.
135 Non est qui Zephyris det lintea plena secundis
136 gnorit et ad coeptam sidera fida viam,
137 proruit in scopulos remis labentibus altos
138 naufragaque hostili prora redundat aqua
139 namque gubernaculi qui pondera cuncta ferebat
140 concidit invalidam deseruitque ratem.
141 Si modo, dii superi, mortalia facta videtis
142 nec fors humanum sola gubernat iter,
143 quassatae dudum poteratis parcere genti
144 Parcarumque avidas continuasse manus.
145 Crimine vel si quo dispendia tanta meremur
146 et laesi poenas cogitat ira Jovis,
147 stravit ut audaces dextra victrice Gigantas
148 Phlegraeo spargens membra cruenta solo,
149 nos omnis hora pariter rapuisset eadem
150 Phoebea ut Niobes turba perempta manu est,
151 Deucalioneo poterat summerge nimbo
152 nostra vel aetherea perdere tecta face.
153 Juppiter, heu, caelo mortalia ridet ab alto
154 humanas curant numina nulla preces.
155 Nec te, care, meae possunt revocare querelae
156 marmorea at cineres contegit urna tuos.
157 Quandoquidem primis fueras moriturus in annis
158 in patria poteris mitius urbe mori.

159 Cognatorum isset consueto ex ordine pompa
 160 diffundens lacrimas ad tua busta pias.
 161 Frigida cinxissem Phoebea tempora fronde
 162 pressissentque cavam languida colla lyram.
 163 Sculpsissem structo carmen de more sepulchro
 164 servandis avida posteritate notis :
 165 "Joannes hic ante diem lugente quiesco
 166 Tarvisio patria, gente Bononigena.
 167 Pieridas colui, nona trieteride saevas
 168 iniecere mihi ferrea fata manus.
 169 Deterior cessit matri pars ossea terrae
 170 spiritus auctori redditus estque Deo".
 171 Turpiter externa sed nunc tellure sepultum
 172 nobilitat nullis hospita terra modis.
 173 Ni tua lecturos sperarem scripta nepotes,
 174 scripta vel a magno principe digna legi,
 175 extinctum quererer penitus, sed fama perennis
 176 ingenii vivet tempus in omne tui.
 177 Interea Elysio felix requiesce sub antro :
 178 dicitur hic sacris vatibus esse quies.
 179 Ast ego jam, mea lux, saltus deducar ad illos
 180 spargit ubi umbrosas myrtea sylva comas.
 181 Nec mora, paulatim cuncti mittentur eodem
 182 restabunt lacerae membra nec ulla domus,
 183 Scilicet aspirat solis fortuna beatis
 184 qui semel est numquam desinit esse miser.

SPES FUTURAE QUANDOQUE MELIORIS FORTUNAE

C1_11 v.1 Non semper tumidae, furente Coro,
 2 insanum rapiunt fretrum procellae.
 3 Nutans, remige nil juvante, lato
 4 non semper fluitat mari carina.
 5 Fervens Adria si decem diebus
 6 aestus indomitis ciet sub undis,
 7 parcentes nihil improbo labori
 8 nautas undecimus sequensve Phoebus
 9 tutus litoreae dabit quieti.
 10 Quare, fors inimica, nil timenti
 11 esto nubila ceu diu fuisti.
 12 Sperabo mihi te tamen serenam,
 13 spes haec funere defutura solo est.

FORTUNA SURDA ET CAECA, IDEO TEMERARIA

C1_12 v.1 Audiret si surda viros fortuna querentis
 2 assidua flecti posset et ipsa prece.
 3 Cerneret eventus alios si caeca merentes
 4 forte pia miseros mota juvaret ope.
 5 Cumque preces abigat, stratos non cernat inique,
 6 res hominum nulla sic ratione gerit.

NOMEN COGNOMEN MORESQUE SUOS LECTURO INDICAT

C1_13 v.1 Si patriam nomenque tui vitamque poetae,
 2 lector, et ingenium noscere forte cupis,
 3 veridico populi vocor ore Hieronimus atque
 4 sic data sunt vati nomina digna pio.
 5 Si cognomen aves audire : Bononius ipsa
 6 nuncupor, id nobis attribuente domo.
 7 Tarvisium gremio me protulit ubere felix,
 8 urbs Italos nymphis ante dicata locos :
 9 in via saxosas rapiens per prata fragorem
 10 implacidum torquet qua Plavis altus aquas,
 11 atque secans urbem vicino natus in agro
 12 caeruleus placido labitur amne Silis,
 13 Nymphaque Butniace crebris ubi fontibus aucta
 14 percurrit triplici moenia laeta vado.
 15 Si bona fortunae spectes, miserabilis Irus,
 16 ditia si parvo pectora, Croesus ero.

LIBER SECUNDUS

VENETAE CLASSI IN TURCOS PROFICISCENTI FELICES OMINATUR EVENTUS,
 ORIGINEM VENETAE URBIS OBITER COMPLEXUS

C2_1 v.1 Bella parant Veneti Turcos fusura ruentis,
 2 jam nova velivolo classis itura mari est.
 3 Vota mea exspectant quales diuturna triumphos,
 4 exspectat Venetos gloria quanta patres !
 5 Nunc erit Euboicos ulcisci clade labores
 6 tempus et injusta corpora caesa manu.
 7 Aeole, ventorum flatus emitte secundos
 8 impleat ut facilis candida vela Notus,
 9 et fluctus mulce placido, Neptune, tridenti
 10 tranquilla ut tutas praebat unda vias.
 11 Caeruleus Triton lituo comitetur adunco
 12 exanclaturas barbara bella rates.
 13 Gratia magnanimo summa est referenda Leoni :
 14 solus is eversas sustinet orbis opes,
 15 cumque premat populos crudeli caede Pelasgos
 16 Turcus et in Latium bella cruenta paret,
 17 hic pro communi solus capit arma salute
 18 caedit et hostiles, Marte juvante, manus.
 19 Dii faciant igitur Pelopea per oppida turmas
 20 diffusas nostro pellat ab orbe procul,
 21 nec prosint celeres mitti post terga sagittae
 22 quas jacet averso perfidus hostis equo !
 23 Ferre jugum discat Venetum superata Corinthos
 24 et Lacedaemoniae diripiantur opes.

25 Omnia quae bimaris spatio clauduntur ab Isthmi
 26 oppida sint nostri sub ditione Ducis.
 27 Quis neget antiquis Venetos ex urbibus ortos,
 28 Romanae ac Phrygiae nobilitatis opus,
 29 jure gubernandas quibus ingens cedat habenas
 30 qua circumfusa cingitur orbis aqua ?
 31 Fundamenta tibi veteres, Aquileia, Quirites
 32 obvia barbaricis opposuere minis.
 33 Italiam suetus terrere, exterritus abs te
 34 in Latiam rueret ne ferus hostis humum.
 35 Corniger hinc imis qua se liquentia ripis
 36 fert, Opiterginas Ilion auxit opes.
 37 Inde erat Altinum, nomen de moenibus altis,
 38 quod Tarvisani praeterit unda Silis.
 39 Hos Veneti tenuere locos, Antenora fausto
 40 sidere ad Euganeos turba secuta sinus.
 41 Oppida condiderant Venetos diversa per agros
 42 clara domi, bello fortia, pulchra situ.
 43 Attila Pannoniis irrumpens dirus ab oris
 44 funditus infanda sustulit illa manu.
 45 Terra parum tuta est, vicinas vulgus in undas,
 46 Adriaci fato praecipiente fugit.
 47 Tota suos illuc transfert Aquileia penates
 48 et quae concordis nominis omen habet.
 49 Cura Opiterginos eadem Altinumque fatigat
 50 ponere fortuna sub meliore larem.
 51 Tarvisio cives aliquot venere potentes,
 52 misit non paucos urbs Patavina suos.
 53 Areolae exstantes undis scopulique frequentes
 54 hortantur subitas aedificare casas.
 55 Reicit effusas tellus aggesta lacunas,
 56 firmato palis objicibusque solo.
 57 Huc bona comportant ingentes plurima naves,
 58 quoslibet huc fructus terra propinqua vehit
 59 quippe Silis Tarvisanis huc fontibus ortus,
 60 huc Meduacus aquas miscet uterque suas,
 61 non procul inde Athesis, Padus et Liquentia, Plabis
 62 hostia non parvae commoditatis habent.
 63 Nunc ubi Mygdoniis fora sunt miranda columnis,
 64 turris et assurgens sidera celsa ferit,
 65 tollitur auratum pario de marmore templum
 66 atria longaevi stant ubi celsa Ducis,
 67 saepta gravem cohibent ubi diis accepta senatum,
 68 praebebat glaucos piscibus alga toros.
 69 Moenia jam stabant, Venetis poteratque videri
 70 exulibus magnos consuluisse deos,
 71 si modo quae vates Apono consultus in atro
 72 edidit eventus sunt habitura suos,
 73 auguris antiqua veniens ab origine, qui jam
 74 vidit ab Euganeo pila cruenta jugo :
 75 "Pannoniis regio licet ignibus ardeat omnis
 76 noster erit domito magnus in orbe cinis.
 77 Urbs erit a Venetis nomen sumptura colonis
 78 altera ceu mundi Roma futura caput".
 79 En cinis hic ingens factus totumque per orbem
 80 horrescunt Venetas terra fretumque minas.

81 Hunc illum superant bellis victricibus hostem
 82 protenduntque amplis finibus imperium.
 83 Quid memorem Venetis ut quaelibet insula sceptris
 84 Longaque litoreae pareat ora plagae ?
 85 Singula quid memorem justo quae Marte subacta
 86 parca vel oblata deditioe tenent ?
 87 Nam loca cum diris premerentur multa tyrannis
 88 justitia et saevo sub pede pressa foret,
 89 sponte patrocinium Veneti petiere senatus
 90 quo duce tranquilla pace fruuntur adhuc.
 91 Roboris hoc proprium Veneti, superare superbos,
 92 protegere afflictos inclyta gesta monent.
 93 Dii jubeant igitur fatorumque integer ordo
 94 omnia quae certa tempora lege gerunt :
 95 "Si qua meis fiet Venetis injuria, si quis
 96 caelicolis gratum laeserit imperium,
 97 protinus extremam mittant sua sub juga turbam
 98 et si gens aliqua est ulteriore situ".

THALIAE SUAE BLANDITUR CUIUS DUCTU CANDIDA IRAM POSUERIT,
 QUI SPE FOVENTE AD RECONCILIATAM GRATIAM DURAVIT

C2_2 v.1 Cinge triumphali felices fronde capillos
 2 semper, io, votis apta Thalia meis.
 3 Vicimus : assiduae tandem valuere querelae
 4 iratam nobis conciliare deam.
 5 Ergo eris ipsa mihi fulvo preciosior auro,
 6 si potes adversis addere rebus opem.
 7 Sollicitas aegro pellis de pectore curas
 8 Nimirum ingrata est te sine vita mihi.
 9 Tu me Castalias fessum deducis ad undas
 10 arida de sicco cedat ut ore sitis.
 11 Emathiae gelida refoves tu frondis in umbra
 12 cum canis Icarii signa proterva micant,
 13 securoque graves pellis de pectore curas
 14 neve premant animum nubila fusca facis.
 15 Et, quod praecipuum est, iratae verba puellae
 16 aspera facunda flectere voce potes.
 17 Nuper enim dominam de me mala multa querentem
 18 molliit ante tua Pamphila mota prece.
 19 Errabam solus latam de more per urbem
 20 concipiens animo nihil nisi triste meo,
 21 tum solitum maestus lento pede limen adivi
 22 et sat adhuc faciles non ratus esse vias.
 23 Interea fundens imo suspiria corde
 24 "Aeternum", dixit, "janua clausa, vale.
 25 Praecipiti infelix occumbam morte necesse est,
 26 cedunt immodicis corpora pressa malis".
 27 Talia vix fueram summissa voce locutus,
 28 pallentes lacrimis immaduere genae ;
 29 En micat ex altera rutilans mihi stella fenestra
 30 diripiens oculis lumina nostra suis.
 31 Candida nec servum potuit sufferre dolentem
 32 quin oculis veniae nuntia signa daret.

33 Tunc instaurato collegi corpore vires,
 34 fessa pererravit tunc novus ossa vigor.
 35 Tristia tunc lacrimis nihil obfuit ora rigasse
 36 praecipuum lacrimae pignus amoris habent.
 37 Ni spes invisam fovisset credula vitam
 38 jam proprio caesus saepius ense forem.
 39 Sperasset quicquam si forte miserrimus Iphis
 40 exemplo poterat tot mala ferre meo.
 41 Si nimium lenti sperasset Phyllis amantis
 42 Attica ad Ismarios vela redire sinus
 43 vixisset, laqueo nec se furibunda necasset
 44 Demophoontae cum rediere rates.
 45 Speranti victum dant annua rura colono
 46 praemiaque exacti magna laboris habet.
 47 Spes etiam fuso cupientes hoste triumphum
 48 ductores ineant bella cruenta facit.
 49 Quid ? quod saepe reos tenebroso carcere nexos
 50 iudice sub tetrico liberat illa dea.
 51 Quin etiam dubiis longinqua per aequora ventis
 52 litora jactatus navita fida petit.
 53 Cum mihi succurrunt quae sum dispendia passus
 54 tot mala ferre alium vix potuisse puto.
 55 Haec aequa quia mente tuli superata laborum
 56 meta dedit placida denique mente frui.
 57 Et si qua insomnis totas mihi ducta per horas
 58 nox fuit immensis pervigilata malis,
 59 nunc juvet expertem curarum ducere vitam
 60 et dare securo membra levanda toro.

POETICA ARTE ET AMORE CONTENTUS DIVITIAS PRORSUS TEMNIT

C2_3 v.1 Non peto Campanis manent mihi Caecuba proelis
 2 Apulus aut Cererem, Candida, fundat ager.
 3 Urna Venafranos servet non multa liquores
 4 Ioniumve legat navis onusta salum.
 5 Me juvet ambrosiam Cirrhaea per avia pastum
 6 Castalio cupidam pellere rore sitim,
 7 teque meis unam semper celebrare libellis
 8 miratum mores, sancta puella, tuos.
 9 Hoc satis est, alii merito sine fine laborent
 10 dives ut immensas arca recondat opes.

AUTUMNUM VENISSE LAMENTATUR, QUO ILLI PUELLA RELICTA RUS
VINDEMIAE PROCURANDAE GRATIA SIT PROFICISCENDUM

C2_4 v.1 Pleias autumnum pulso jam retulit aestu
 2 stellaque ferventis cessit iniqua Canis.
 3 Caerea jam curvat maternos uva racemos,
 4 pressa suo vitis pondere tangit humum.
 5 Nunc ego desertos invitus mittor in agros
 6 ruraque veloci cogor adire pede,
 7 reddat ut Icarium nudo pede pressa liquorem

8 congesta et summos impleat uva lacus.
 9 Icare, crudeles merito luis, improbe, poenas :
 10 nempe tulit justas ebria cura manus.
 11 Dulcia miscuerant mortales caecuba nondum,
 12 Setini fuerat gratia ulla cadi
 13 at ravidam gelidis Acheloia pocula lymphis
 14 tunc ope sedabant nobiliore sitim.
 15 Nullus amans carae faciem linquebat amicae
 16 perpetuus vinctum quemque tenebat amor.
 17 Ast ego nunc solus per devia rura vagabor
 18 nullus ubi insueto tramite fecit iter.
 19 Hic mihi non lepores canibus agitare fugaces
 20 cura sit, aut capreis opposuisse plagas,
 21 non querulam visco libeat fraudare volucrum,
 22 praehensam incauto detinuisse pede.
 23 Haec alii faciant quorum Venus annuit igni,
 24 omnia quis dexter vota secundat amor.
 25 Sola erit hic nobis (quis credat ?) magna voluptas
 26 nostra sub arborea vulnera fronde queri
 27 et lacrimis veteres fusis renovare dolores
 28 quaeque homini quondam vix patienda tuli.

GLAURAE FONTIS AC LOCI EIUS AMOENISSIMI COMMENDATIO

C2_5 v.1 Glaura per umbrosas gelido qui flumine valles
 2 laberis, o Musae Pegasi lympa meae,
 3 crediderim nymphas vitreis habitare sub undis
 4 arcanumque aliquod numen inesse tibi,
 5 antraque muscoso circumpendentia tophe
 6 qua non est satyris gratior ulla domus.
 7 Has ego crediderim Faunos errare per umbras
 8 hic placidos sedem Panas habere suam,
 9 et Dryades festas hic exercere choreas
 10 Icarius torret cum magis arva Canis.
 11 Continuat maestas dulcis Philomena querelas
 12 Ismarii crimen conqueriturque ducis.
 13 Nulla voluptati desunt hic commoda plenae :
 14 hac ego perpetuo vivere valle velim.

SOMNIUM QUO ILLI RUSTICANTI PUELLA APPARUIT VISA
DE EIUS PERFIDIA SUSPICARI

C2_6 v.1 Nox erat et medium rutilis iter egerat alis
 2 cederet ut fratri rosida Luna suo
 3 cristatusque diem cantu praedixerat ales
 4 stellaque in aequoreas quaeque ruebat aquas,
 5 et tandem fessa curis de mente fugatis
 6 mulcebat placidus languida membra sopor.
 7 Tum pater emittit reseratis somnia portis
 8 somnia et ambiguus fallit imaginibus
 9 pronaque mens ut cuique sua est, ita lusus inanis
 10 quoslibet intentos ad sua vota trahit.

11 Visus eram medio Phoebi exurentis ab aestu
 12 fessus in herboso procubuisse toro.
 13 Populus umbrosis rivo superaddita ramis
 14 fontanas densa fronde tegebat aquas.
 15 Hic volucres querulis complebant vocibus auras,
 16 Threicium flebat garrula mater Itym.
 17 Prata colorabant varii redolentia flores
 18 candida Puniceis lilia mixta rosis.
 19 Vix tot crediderim nituisse coloribus arva
 20 Aetnaeae quondam florida Siconiae
 21 cum vaga Persephone, maestae pia cura parentis,
 22 ablata est niveos flore referta sinus,
 23 qualia fama refert manes habitare beatos
 24 mollis ubi Zephyro calta fovente viget.
 25 Visa mihi fuis per eburnea colla capillis
 26 Candida summissa talia voce queri :
 27 "Ausus es an nostros alio traducere amores ?
 28 Mobilior foliis quae levis aura quatit,
 29 ausus es an nobis aliquam praeferre puellam ?
 30 Nescio quid magni suspicor esse mali.
 31 Phoebeos anno spatium mihi longius ortus
 32 bis traxi et noctes te sine sola duas.
 33 Tu ferus interea nostrique oblitus amoris
 34 Tu potes a vultu durus abesse meo.
 35 Interea lentus florentia rura pererras
 36 dum recolo luctus sola relictas meos.
 37 Sacrilegae timui quotiens perjuriam linguae !
 38 Et tamen incautae sunt data verba mihi.
 39 Haecne fides totiens superos promissa per omnis
 40 te sine me nullum vivere posse diem ?
 41 Quid tibi nunc Veneris si laesa potentia magnae,
 42 in poenas summi si ruat ira Jovis ?
 43 Fixus erat stulte quia te meus ardor in uno
 44 credebam nostrae mutua jura facis.
 45 Pollicitis surdas adhibere virilibus aures
 46 exemplo discat quaeque puella meo.
 47 Fraudibus, heu, cari si sum decepta Bononi
 48 perpetuus dudum quem mihi junxit amor,
 49 quid sperent aliae, cum sit fallacior alter
 50 forsitan et plures ausit inire dolos ?
 51 Nescio quem perhibent ignoto in litore Theseum
 52 uxorem aequoreis deseruisse feris.
 53 Prima igitur Gnosis perjurum flevit amantem,
 54 ut similes luctus ipsa secunda feram".
 55 Dixerat et tenues pariter secessit in auras
 56 indomito nubes ut fugit acta Noto.
 57 At mihi temptanti fugitivo nectere collo
 58 deseruit fugiens brachia mota sopor.
 59 Jam prope vecta aderat roseis aurora quadrigis,
 60 deserui trepido tristia rura pede.

LAUS AMICAE CANDIDAE CUIUS AMORI VEL MAXIMAS OPES POSTPONERE NON DUBITAT

C2_7 v.1 Qualis ad Eurotam gelidum Cynthumque virentem
 2 exercet comites Delia casta suas,
 3 talis visa mihi festas agitare choreas
 4 virgineos inter Candida laeta choros.
 5 Quale erat egregio vitales corpore motus
 6 sumpturum capti Pygmalionis ebur,
 7 talis odoratis mihi Candida visa capillis
 8 purpureo niveas fusa rubore genas.
 9 Quamque decens visa est Thebanae gloria gentis
 10 Antiope magno grata puella Jovi ;
 11 et quam Neptuno Alcinoe aut formosa Celaeno
 12 Candida tantum oculis visa decere meis.
 13 Non hujus similem formae se Tyndaris ausit
 14 dicere, Dardaniae prima ruina domus.
 15 Sedula non furtim servati nata Thoantis
 16 credat praecipua se pietate parem.
 17 Non Phrygium sicco traxit quae flumine numen
 18 se tam constantis pectoris esse putet.
 19 Quam mihi junxit amor primis quia fidus ab annis
 20 in socio conjux sit mihi sola toro,
 21 atque ubi jam amborum pulsus juvenilibus annis
 22 albentes steterint per caput omne comae,
 23 illa manu claudat tremulos morientis ocellos
 24 et jubeat tecto sit mihi terra levis.
 25 Quam bene consuluit nostris Venus aurea votis !
 26 Me cepit facies digna movere deos.
 27 Nulla quidem poterat melius me exurere flamma,
 28 conveniens votis haec erat una meis.
 29 Quae si forte fidem longum servarit in aevum
 30 nec mentem velox moverit ira levem,
 31 tum juvet Hispana reliquos Tagus aureus unda
 32 Pactolusve suo quicquid in amne vehit.
 33 Pinguia Campanae nil curem jugera terrae
 34 vertere, nil multos perdomuisse boves,
 35 Hesperidumque nihil pomaria ditia mirer,
 36 fertilis Alcinoi sit mihi vilis ager.
 37 Attalicas vestes aulaeaeque picta relinquam
 38 quos vexat miserae crimen avaritiae.
 39 Me mea dum teneris foveat complexa lacertis
 40 exceptum niveo Candida laeta sinu,
 41 me sat erit carae contentum ardore puellae
 42 immitem prisca pellere glande famem.

PAULO MARSO POETAE ILLUSTRARI NARRAT QUO CASU MAIORIBUS BONONIENSIBUS
 NATUS URBEM TARVISIUM PATRIAM HABEAT

C2_8 v.1 Marse, facis nostro senior qui tempore Marsus
 2 credatur superas ut repetisse domos ;
 3 qui seu grandiloquo cantas fera carmine bella
 4 Maeonii vatis crederis ore loqui,
 5 seu canis insanam versu levio Cytheren
 6 dura potes dulci saxa movere sono,

7 unde genus priscaeque mihi sit gentis origo
 8 jamdudum nostro carmine nosse cupis.
 9 Ne me Bentivolo genitum de sanguine credas :
 10 nobilem parvam stemmata nulla domum,
 11 invenias ubi turpe tamen nihil atque pudendum,
 12 impia paupertas presserit usque licet.
 13 Sola mihi laus est umbras Heliconis amoeni
 14 Aonii fontes et coluisse jugi.
 15 Felsina virtutum studio celebrata vetusto
 16 urbs fuit Etrusci prima caputque soli.
 17 Mox quod possideat bona cuncta, Bononia dicta est,
 18 seu magis a Boiis Gallica nomen habet.
 19 Expulit haec proavos civilia bella perosos
 20 horrida dum patrias vertit in arma domos.
 21 Tarvisium Venetas inter memorabilis urbes
 22 fulgebat populo, moenibus atque situ.
 23 Inde tulit clarum Venetae provincia terrae
 24 nomen, id emeruit scilicet illa decus.
 25 Sedibus hanc patriis profugi petiere relictis,
 26 credibile est magnos id voluisse deos.
 27 Sic mihi Tarvisium patria est, Butinica Silisque
 28 sic sunt carminibus Pegasis unda meis.
 29 Sic mihi pro gemino Parnasi colle colendus
 30 Montellus Bromii cura domusque dei.

BERNARDO SODALI OB AMORIS REMEDIUM RUS EAT CONSULENTI RESPONDET
SE UTI CONSILIO NON POSSE NEQUE AB AMICA DISCEDERE

C2_9 v.1 Hortaris mirate meos, Bernarde, labores,
 2 quos alit in misero pectore durus amor,
 3 segnia magnanimus jamdudum moenia linquam
 4 ut solvam tristi subdita colla jugo :
 5 pulsus amor nobis longo quia tempore cedit
 6 sollicita oblitae cura nec urbis erit.
 7 Ligna etenim accensum si non addantur in ignem
 8 materia tandem deficiente perit,
 9 sic et ab urenti si quis discedit amica
 10 vincit et e sano pectore cedit amor.
 11 Vera mones, fateor : Circen facundus Ulixes
 12 dum fugit aequoreas deseruitque deas,
 13 ille ferox ausus Stygia descendere cymba
 14 tergemini rediit tutus ab ore Canis.
 15 Non Phlegethontas flammis torrentibus undas
 16 extimuit fuscas non Acherontis aquas,
 17 Ergo qui sospes Stygiis remearit ab oris
 18 erravit lato per duo lustra mari.
 19 Idem vel poterit Ledaeos temnere partus
 20 et quicquid magnum fecit amare Jovem.
 21 At mihi nascenti Parcae cor molle dederunt,
 22 non ego militiae gesta cruenta sequor.
 23 Cum me fata velint durae servire puellae,
 24 discedam frustra, dulcis amice, mones.
 25 Si vel ad extremos cupiam migrare Britannos
 26 audacem subito comprimet acer amor ;

27 per terras profugum me, per freta longa sequetur,
28 secura nusquam me sinet ire via.
29 Forte pererrabat caesa deserta Medusa
30 aeris alato cui via facta pede est.
31 Flebat ut Andromede saxo religata marino
32 est juveni lacrimis visa decere suis.
33 Ingemuit fixus nec opino vulnere Perseus,
34 nil celeris cursus profuit altus equi.
35 Ergo mihi hanc legem si ferrea fata dederunt
36 perpetuaque aliquam cogor amare face,
37 praestat amem quae me rutilis exussit ocellis
38 prima cupidinibus saepe petita meis.
39 Quod si me dulci jubeat discedere ab urbe
40 Juppiter, invito est urbs habitanda Jove.
41 Nam tanti non est ne sit subjectus amori,
42 magnorum princeps sit licet ille deum.
43 Jamdudum vario caelum infamavit amore
44 omnibus et terris fabula nota volat.
45 Ales ut ad Trojam rostro volitavit adunco
46 unguibus praehensum duxit in astra Phrygem,
47 dum premit Alcmenam Phoebum jussisse morari
48 dicitur et noctes continuasse duas.
49 Nec tantum me forma decens flavique capilli,
50 nec rubor ingenuo gratus in ore tenent,
51 quam timeo experta mihi ne succenseat ira
52 Candida servitio facta superba meo,
53 ne mihi sit demum redeunti flere necesse
54 vanaque ad occlusas fundere verba fores.
55 Heu, prece peccantis vix exorabilis ulla
56 saeva sed est nostro laeta dolore nimis.
57 Peccavi semel, assiduis nil mota querelis
58 saepius occlusa jussit abire domo.
59 Pamphila continuos gemitus miserata precantis
60 vix potuit longa conciliare prece :
61 quos ego mortales, quae non ego numina movi ?
62 Cum furerem mediis raptus amore viis.
63 Squalida jam macies aegros tenuaverat artus,
64 diffusus toto corpore languor erat.
65 Tu felix igitur superi cui vota secundant
66 interea sine me florida rura colas,
67 sitque sub arboribus Ruffam spectare voluptas
68 ambrosios vario flore replere sinus ;
69 quaque sonat tenuis crepitantibus unda lapillis
70 mulceri querula voce canentis avis ;
71 quaque Plavis rapidus montana labitur unda
72 grandiaque infesta saxa trahuntur aqua,
73 mirari subito cara comitante puella
74 diluvio mersum succubuisse solum,
75 objicibus ruptis per devia rura vagari
76 flumen et oppositas diripuisse trabes,
77 cum stabulis tractosque boves ruere amne secundo
78 et pastorales occuluisse casas ;
79 me sine, quem durae voluit servire puellae
80 sors mea, perpetuis ingemuisse malis.

SE PRIUS AMORIS IRRISOREM TANDEM SUCCUBUISSE FATETUR,
 QUI TAMEN A PUELLA FORMOSA AMANDI MATERIAM HABUISSE LAETATUR

C2_10 v.1 Si quis erit qui lascivum detrectet amorem,
 2 exemplo discat cautior esse meo.
 3 Culpabam, memini, crines quaecumque puella
 4 fuderat Aeoliis terga per alba notis,
 5 collectos tenui vitta si forte ligarat
 6 iccirco est gressus nulla morata meos.
 7 Culpabam graciles et lato corpore pingues,
 8 culpabam niveas purpureasque genas.
 9 Si Venerem magnus caelo misisset ab alto
 10 Juppiter, incassum tum mihi missa foret.
 11 Indoluit neglectus Amor sumpsitque sagittas,
 12 exitium capiti tela datura meo.
 13 Obvia mox flavis mihi Candida facta capillis
 14 vulnus in hac dirum funereumque tuli.
 15 Mox adamantea vinxit mea colla catena
 16 inquit et : "Es palmae tu quoque praeda meae.
 17 Sperabasne meam tu posse evadere dextram,
 18 nescius aeternos succubuisse deos ?
 19 Illustrat nitidus radiis quae Phoebus Eois
 20 omnia sunt nostra regna subacta manu".
 21 Dixit et auratis in cursum tollitur alis
 22 ambrosiaequae sacer nil nisi mansit odor.
 23 Attonitus caram cepi spectare puellam,
 24 nil mirans tali me potuisse capi.
 25 Irrita deceptae fecit qui vota novercae
 26 non alia facie decipiendus erat.
 27 Hanc poterat Phrygiae gelidis in vallibus Idae
 28 Dardanius Veneri praeposuisse Paris.
 29 Ardua Phoebeae vertenda ad Pergama Trojae
 30 haec fuerat Graios digna vocare duces.
 31 Est illi facies, spectet quam si quis amator,
 32 Gorgonis admoto fiat ut ore lapis,
 33 in quam lux tremulo Phoebea refulgeat ictu,
 34 Mygdonium tamquam marmor eburque nitens.
 35 Ignea fulmineis acies jaculatur ocellis
 36 quae crucient, non quae tela repente necent.
 37 Hunc, precor, hunc nolint anni mutare decorem,
 38 nec roseos vultus ruga senilis aret.
 39 At mihi Nestoreos servetur talis ad annos,
 40 contemnat reliquos dummodo fida procos.
 41 Quandoquidem audaci nemo est illaesus amore
 42 apta erat ardori Candida sola meo.

SOMNO CAPI NEQUIENS CITHAROEDO THAMYRA ET CANTORIBUS ACCERSITIS
 CANDIDAM SUAM VISIT

C2_11 v.1 Rosida jam Phoebe pernicibus acta quadrigis
 2 nocturno medium tramite carpit iter,
 3 gramineosque rigat rurali flumine campos
 4 prataque caelesti languida mulcet ope.

5 Jam sopita viri fuso per membra Lyaeo
6 corpora securo deposuere toro.
7 Felices acri qui non vexantur amore,
8 et quorum votis annuit alma Venus.
9 Ille sinu carae nixus fragrante puellae
10 exoptat solito tardius ire diem.
11 Ille ferox audet summis intrare fenestris
12 praecipites tecti fune petente vias.
13 Hic nimium trepidam et metuentem cuncta puellam
14 qua petit occultum parte sequatur iter.
15 Hic tandem celsi superato culmine tecti
16 gaudet sopitos conticuisse canes.
17 Hic circumfusas stricto furit ense per umbras
18 diraque sanguinea cuspide bella ciet,
19 aerata pressos galea condente capillos
20 magnanimus valida fertur in arma manu.
21 Laeta Venus rixas e summo spectat Olympo
22 Gradivi amplectens Candida colla sui.
23 Conscia nox pugnas stricto mucrone cruentas
24 spectat et audaces occubuisse procos.
25 Ista juvant alios, noctes ego segnis inertes
26 duco, manent animum gaudia nulla meum,
27 nec mihi sopitos placide qui claudat ocellos
28 est aliqua somnus percipiendus ope.
29 Languida mi lasso pulsantur pectora mento
30 et vigilant curis exagitata novis.
31 Fert animus totam, turba comitante, per urbem
32 ire, nec hostiles extimuisse manus.
33 I, puer, ad Thamyram, cithara solet ille canora
34 mi comes in multis saepius ire locis.
35 Deinde voca geminos dulci qui voce ministros
36 aequent argutae carmina blanda lyrae.
37 Prome cadum veteris Campano colle petitum
38 consulis, Arvisii pocula funde meri.
39 Sit vitium reliquis : quis enim reprehendat amantem ?
40 At me vel media nocte bibisse juvet.
41 Bacchus sollicitas jocundus pectore curas
42 et solet e timido pellere corde metus.
43 Hoc melius nemo tenero conducit amori
44 quippe jocos praebet blanditiasque leves.
45 Ipse suis flammis exiles viribus auget
46 ast amor exiguas ventilat ipse faces.
47 Magnanimus tenebras, illo ducente, per atras
48 ibo et ab hostili vulnere tutus ero.
49 In me conjectas, illo pellente, sagittas
50 mirabor cursu nil nocuisse suo.
51 Tu modo mi radiis lucem formosa ministra
52 Luna, quidem nosti tu quoque quid sit amor.
53 Per tenebras quotiens petiit te Latmius heros
54 splendoris nimio captus amore tui !
55 Illius exemplo dilectae limen amicae
56 dum peto, fulgorem da mihi, dia, tuum.

HYEMIS ASPERITATE CONTEMPTA CANDIDAM PETIT,
PRO QUA MILLE PERICULA SUBIRE NON VERETUR

C2_12 v.1 Horrida jam redeunt glacialis frigora brumae
2 et Boreas Scythico saevus ab orbe furit.
3 Depositis luget silvestris frondibus arbor
4 et volucrum nullis fletibus antra sonant.
5 Caerula nimbo coguntur nubila caelo
6 et nix suppositas occulit alta vias.
7 Aeris infesti gelidis horroribus algens
8 quilibet accensos constitit ante rogos.
9 At mihi correptis talis calor ossibus errat
10 qualis in Aetnaeo dicitur esse jugo.
11 Candida contemptis nivibus glacieque petenda
12 est mihi, ne segnes arguat usque moras.
13 Ite procul, juvenes, quos vexat inertia lenti,
14 audaces animos miles amansque petunt.
15 Quisquis amat pluvias temnat ventosque necesse est
16 duraque magnanima plurima mente ferat.
17 Saeva triumphales dantur post proelia lauri :
18 ut vincas tibi sunt bella gerenda prius.
19 Hannibal aerias ausus transire per Alpes
20 et facilem caesa rupe parare viam
21 ut Trebiam faceret, Cannas Perusinaque prata
22 Romanae memorem caedis habere notam,
23 hostis ut ad pavidae muros contenderet urbis
24 Barbarus, Ausonias depopulatus opes.
25 Ut revehat merces longinquis navis ab oris
26 jactatur dubio per freta longa Noto,
27 remigio demum ventisque elata secundis
28 post varios casus litora fida tenet.
29 Ergo sive petat Siculam mea vita Charybdim
30 huic comes insanis fluctibus ire velim,
31 atque insurgentis concussa a puppe procellas
32 saevitiem rapidi despiciamque freti,
33 bracchia nil timeam canas jactare per undas
34 si mihi sit tacitis illa petenda viis
35 sicut Abydeus turri lucente putatur
36 isse in concubitus, Sesta puella, tuos ;
37 sive sit armatos nobis quaerenda per hostes
38 et centum surgant in mea fata manus,
39 nil verear strictos incurrere fortis in enses
40 vulneraque hostili cuspide mille pati.
41 Huic ego jura diu cessi omnia corporis hujus
42 et mox extincto corpore quicquid erit.

RUFFAM PUELLAM RARISSIMAM ADVERSA PATRIS VALETUDINE MAERENTEM CONSOLATUR

C2_13 v.1 Sollicitat superos pro caro Ruffa parente
2 languidus indigno dum jacet ille toro.
3 Vota facit lacrimis in honesta cadentibus ora
4 altaque virgineas tollit ad astra manus.
5 At si quis divum mortalia pectora curat
6 nec vacua est alti regia celsa poli,

7 numina sollicitis succurrent victa querelis
 8 et genitor natae munere sospes erit.
 9 Phoebe, salutiferae primus qui cognitor artis
 10 diceris et lustras lumine cuncta tuo,
 11 affer opem : castae cura est tibi si qua sororis,
 12 hac non Dictynnae gratior ulla comes.
 13 Ferre humeris solita est Cressam succincta pharetram
 14 dum fugat attonitas fessa Diana feras.
 15 Affer opem, vireat nullo sic frigore laesa
 16 laurus et intonsas vinciat illa comas.
 17 Sic Phaethontes Clymeneia populus umbras
 18 lugeat, Oebalidem tempora verna ferant.
 19 Desine, quid laceras crispas, mea Ruffa, capillos ?
 20 Perveniunt unguis in mea corda feri.
 21 Aurea quid lacrimas fundis sine fine per ora ?
 22 Sanguinis, heu, ferme corpus inane mihi est.
 23 Fata pio talem metam si dura parenti
 24 ante diem plena constituere colo,
 25 nequicquam quereris, mea lux, violare sororum
 26 stamina vel summi non potuere dei.
 27 Illius extincti fungar vice teque tuebor
 28 ut pater, officio damna repende meo.

IN VENERIS SIMULACHRUM

C2_14 v.1 Sum Venus humanae res dulcis amaraque vitae
 2 otia sunt castris irrequieta meis.
 3 Bellica pax, odiosus amor, sunt denique mixta
 4 omnia mellito pocula felle mea.

IN SIMULACHRUM CUPIDINIS

C2_15 v.1 Nudus et alatus, caecus, pharetratus et infans
 2 delirat, eget, nil videt, errat inops.

GLYCEREM SCORTUM ELEGANS QUO DELECTARI CONSUEVIT ADDUCI IUBET

C2_16 v.1 Nata Syracusio Glycere formosa parente
 2 est celebris, magnum cui domus ante forum.
 3 Saepe solet nostros lenire vocata labores
 4 blanda vel Hippolytum docta movere trucem.
 5 Quae mihi lasciva quotiens dedit oscula lingua
 6 excidit e tristi pectore quicquid erat.
 7 Flava comas et odora sinus vultuque sereno
 8 binaque in illustri sidera fronte micant.
 9 I, puer, atque meo nutu Charideme jubeto
 10 me petat ut posita protinus illa mora,
 11 expectanda diu Tyrios ne sumat amictus
 12 neve comas rapido torqueat igne velim.
 13 Condita pyxidibus medicamina mille relinquat

14 mentitum tarda neu petat arte decus.
 15 Ingenuos tantum celet velamine vultus
 16 garrula nec tacitae sit comes ulla viae,
 17 compita ne nostri cras fiant plena pudoris
 18 neve ego sim digito quem fora plena notent.
 19 Namque ubi contigeris felices limina valvae
 20 intrabis facilem jussus inire domum.
 21 Protinus occurrent laeta tibi fronte ministrae
 22 quas socias priscae Thaidos esse putes,
 23 e quibus haec citharam plectro percurret eburno
 24 concutietve agili cymbala pulsa manu,
 25 illa Cytoniaco Phoebeos pectine crines
 26 ornabit nudo conspicienda sinu.
 27 Blandior aut festas ducet Faustina choreas
 28 Phyllis et arguta carmina voce canet,
 29 aut Lalage collo cupidi pendebit amantis
 30 lasciva et niveo vulnera dente dabit ;
 31 mille voluptates quacumque in parte videbis
 32 nec curis aliquem tristibus esse locum.
 33 Ipse feres dominae cari mandata Bononi
 34 proque tua pretium sedulitate feres.

VITA FELIX

C2_17 v.1 Quis vecors adeo, quis ut
 2 contentum modico virum
 3 felicem penitus neget ?
 4 Sit parvis casa sumptibus
 5 menti conveniens piae,
 6 robustum toga pauperem
 7 brumis una tegat decem.
 8 Rurales abacum dapes
 9 securo varient cibo.
 10 Nec multum scyphus improbam
 11 exstinguat Samius sitim,
 12 arcae nil vacuae timens
 13 nox somnos pariat graves.
 14 Quo si quando serenior
 15 me fortuna redegerit,
 16 intentus studiis meis,
 17 quaerens praeterea nihil
 18 vivam rege beatior.

VITA SECURA

C2_18 v.1 Quisquis es uxorem monitis fuge ducere primis
 2 sed cui praecipue turba molesta domi est.
 3 Inde viro si qua est maturam junge sororem
 4 ut sit nulla domi femina vel sit anus.
 5 Cum tibi pro centum lis est subeunda, ducenta
 6 Quam fora te vexent jugera perde prius.
 7 Litibus atteritur census sensusque nec ulla

8 res magis est menti perniciosa piae.
 9 Conveniens lucro sit sumptus, nullius idem
 10 debitor et rari creditor esse velis.
 11 Sunt quoque felicem reddant quae plurima vitam ;
 12 securam faciant pauca sed ista sat est.

IOCUS AD AMICAM

C2_19 v.1 Ut juveni Myso conamine missa potenti
 2 haesit Achilleae Pelias hasta manus,
 3 mox tamen a dextra repetitum vulnus eadem
 4 vulnere sanavit vulnus utrumque novo ;
 5 sic mihi nunc infers laesa quae fronte dolorem
 6 suavia si dederis causa salutis eris.

IOCUS IN BALBUM DETRACTOREM

C2_20 v.1 Fama est de nobis Balbum maledicere Tuccam :
 2 parcimus, assuevit nil bene Tucca loqui.

IN AETHIOPEM ASSIDUE LAVANTEM

C2_21 v.1 Ora laves gelida quanvis tam sedulus unda
 2 mundior ut nitida conspiciare cute,
 3 atra tamen piceum vultu servante colorem
 4 Eoi referunt ora perusta viri.
 5 Tantaque naturae, credo, sunt jura potentis
 6 morbus ut hic nulla cedere possit ope.
 7 Falsa sed antiqui si non cecinere poetae
 8 est tua Clitumno fonte levanda sitis.
 9 Illic epoto niveus vel flumine fies,
 10 labetur vitio fusca vel unda tuo.

AD LEONARDUM MONTAGNAM INSIGNEM POETAM

C2_22 v.1 Nauta procellosum scindentem remige pontum
 2 consortemque suae rusticus artis amat,
 3 Martius assuescit duro cum milite miles,
 4 gratia magnanimo cum duce juncta duci est.
 5 Pars ego Pierios sic inter parva ministros
 6 qua possum vates sedulitate colo,
 7 te tamen ante omnes, nam quo praestantior exstas
 8 omnibus, hoc debes carior esse mihi.

AD VULCANUM AEMULUM

C2_23 v.1 Infensus, Vulcane, mihi es torvoque venenum
 2 letiferum vultu dissimulare nequis.
 3 Si loqueris, licet hoc ipso sermone notari :
 4 sive taces, tacito livor in ore patet.
 5 Semper habes stimulos in me quibus uteris acres,
 6 semper habes morsus in mea terga feros.
 7 Spumosum salamandra minus vomit ignea virus
 8 hippomanes rabido quam tibi ab ore fluit,
 9 Eumenides tremebunda minus per sibyla divae
 10 et minus in Stygio Cerberus orbe furit.
 11 Sed tamen existam donec consumpseris omnem
 12 materiam, sano pectore cuncta feram.
 13 Apparet virtus solis agitata procellis,
 14 novit enim placido currere quisque mari.
 15 Digna viro in duris res est patientia claro,
 16 haec homines meritis tollit ad astra suis.
 17 Amphitryoniaden odium Junonis iniquae
 18 sustulit, Alcidae me facis ecce parem.

ADOLESCENTULI ELEGANTIS FORMAE COMMENDATIO

C2_24 v.1 Narcisso faciem persimilem huic, puto,
 2 undis in liquidis fons vitreus dedit.
 3 Ipsum credibile est talibus et comis
 4 captum conspicui Trois in alitem
 5 convertisse Jovem. Non alios tener
 6 miratum Oebalides cepit Apollinem
 7 fulgores oculorum et roseas genas.
 8 Felix quae poterit sponsa tuo frui
 9 complexu, faciet quaeque prior virum.
 10 Dii nolite, precor, canities comas
 11 invadat croceas, improba neu genas
 12 sulcis inficiat ruga senilibus :
 13 dignus perpetuo hic vivere nam decor.

IN CRITICUM DETRACTOREM

C2_25 v.1 Quod nimium facili manet mea flumine vena
 2 malo ego quam culpes, Critice, difficilem.

IN SABELLUM MALUM POETAM

C2_26 v.1 Horis carmina mille se duabus
 2 assuetum facere autumat Sabellus,
 3 hac re quem mihi praefero sed una
 4 horis quod faciat duabus illa.
 5 Quorum si fuerint decem probanda
 6 praepono mihi et omnibus poetis.

IN EUNDEM

C2_27 v.1 Versiculos horis facias quod mille duabus,
2 malle horis faceres mille, Sabelle, duos.

IN URBICUM BLATERONEM

C2_28 v.1 Plurima dum numeras priscorum nomina Vatum
2 crederis ipse tibi volvere grande sophos.
3 Historiae alii referunt sermonibus aptas,
4 at tu Caecilios Pacuviosque vomis
5 Ennius aut tumido resonat tibi Plautus in ore
6 Lucanus, Flaccus, Stadius atque Maro,
7 Silius, Ausonius lepidique epigrammata Marci
8 quicquid et Aonidum bibliotheca capit.
9 Scire cupis populus quid sentiat, Urbice, de te ?
10 Qui paucos vidit, nominat innumeros.
11 Nomina non satis est, sensus didicisse sed imos.
12 Dispeream si scis "Arma virumque cano".

IN EUNDEM

C2_29 v.1 Fama est, Urbice, pessimum poetam
2 passim carpere me ac meos libellos.
3 Hic qui sit scio nec, puto, ipse nescis.
4 Quem ni fecerit Urbicus tacere
5 expecta hendecasyllabos trecentos.

IN ADVENTUM DOMINI ANTHIOCHENI PATRIARCHAE PRAESULIS TARVISINI

C2_30 v.1 Prome jubar, nitidum, lentae succede sorori
2 optatamque diu duc age, Phoebe, diem.
3 Haec erit, haec nobis niveo signanda lapillo,
4 contigit hac numquam clarior ulla mihi,
5 festivus tota qua fiet rumor in urbe
6 diceturque : "Pius, plaudite, praesul adest",
7 Pontificisque sui vultus visura verendos
8 stabit in ornatis longa caterva viis.
9 Sed licet haec veniat lux optatissima cunctis,
10 gratior ante alios me tamen una manet :
11 te duce qua servus fiam, Leonarde, potentis
12 principis. O venias saepe vocata dies !

AD DOMINUM LAURENTIUM ANTIOCHENUM PATRIARCHAM

C2_31 v.1 Martia Phoebeo virtus sine munere, Phoebus
2 vivere magnanimo non sine Marte potest.

3 Maximus at numen tibi conciliavit utrumque
 4 Juppiter et gemina tendis in astra via.
 5 Pace pius, belloque ferox Romana tueris
 6 jura et apostolicae religionis opes
 7 vexillumque Crucis ducens ante agmina sanctae
 8 intrepido veram protegis ense fidem.
 9 Te duce Bistoniiis latitans Otomanus in antris
 10 a Danais didicit finibus esse procul.
 11 Quid morer ? Haec si quis comprehenderet ordine gesta
 12 immensam vates conderet Iliada,
 13 quae licet ipse tuo meditari carmine posses
 14 te majora tenent, Anthiochene, tamen.
 15 At nisi Montagnae nuper levis aura disertis
 16 abstulerit fusas ob mea vota preces
 17 bella geres, ego gesta canam, proh sidera, quantum
 18 Virgilius cupio Caesaris esse mei.

AD LEONARDUM MONTAGNAM

C2_32 v.1 Primatis, Leonarde, cura sacri,
 2 cui dat terra suum dicata nomen
 3 fundata Antiochi manu potentis,
 4 exemplum probitatis excolendum,
 5 cunctarum decus elegantiarum
 6 nostri gloria saeculi poeta,
 7 hortator studii mei benigne,
 8 qui parvos epigrammaton libellos
 9 laudas atque probas tui Bononii,
 10 lusi nescio quid quod otiosus
 11 nugarum, dato praesuli, sed ante
 12 solers in maledicta censor esto.
 13 Hoc post iudicium nihil verebor.

IN ERIDANI TRAIECTU

C2_33 v.1 Nympharum pater Ausonidum celeberrime, cujus
 2 Phoebeus vasto mersus in amne puer,
 3 cum neque ponte premi fluvium patiare superbum
 4 nec vada securam dent nimis alta viam,
 5 indomitas igitur puppi tranabimus undas
 6 impositosque rati trajiciemus equos.
 7 Ergo semel laeso contentus Apolline ripa
 8 siste mihi tutos ulteriore pedes !
 9 Sic tibi concedant Athesis, Tiberinus et Arnus
 10 victaque te dominum flumina cuncta vocent.

IN PINETA RAVENNATIA

C2_34 v.1 Quem juvat antiquae subter pineta Ravennae
 2 tendere per funda concita saxa juvet.

3 Ardua frendenti late ruit arbore moles
 4 cum furit immitem Phryx puer in Cybelem,
 5 scilicet has tribuit sylvis natura ruinas,
 6 nam torquere parum est tela trisulca Jovem.

TEMPLI NOBILISSIMI ARIMINENSIS COMMENDATIO

C2_35 v.1 Imperfecta manent sed adhuc educta sub auras
 2 aemula Tarpeii templa superba Jovis
 3 quae Sigismundus Malatestae gloria gentis
 4 Flaminia princeps voverat urbe pius.
 5 Eheu, vix primae fundamina jecerat aedis
 6 intempestiva cum nece raptus obit.
 7 At si magnanimo nolebant parcere regi
 8 parcere debuerant numina dira sibi.

IN RUINAS URBIS DEPLORATIO

C2_36 v.1 Parcere quis lacrimis valeat gemitumque tenere
 2 conspiciens cladem, diruta Roma, tuam ?
 3 Usque adeo gravibus deplorandisque ruinis
 4 angulus eversa nullus in urbe vacat.
 5 Hinc subeunt fractis palatia lapsa columnis
 6 templaque septenis praecipitata jugis,
 7 hinc intercisi longinqua per avia ductus
 8 versaque neglectis amphitheatra foris,
 9 effigies divum lacerae abjectique colossi ;
 10 mutatas ruptis pontibus adde vias,
 11 adde triumphales dumis findentibus arcus,
 12 eruta diversis adde sepulchra locis.
 13 Heu, confusa jacent ulloque sine ordine cuncta
 14 semesa et foedis dimidiata modis.
 15 Omnia cum densis caprificus vepribus audax
 16 occupat, antiquum concidit omne decus.
 17 Omnia barbarico cesserunt victa furori,
 18 sustulit egregias ensis et ignis opes.
 19 Sola manent formae quaedam vestigia priscae
 20 perdere quae rabidi non potuere Getae.
 21 Reliquiae tamen ostentant mirabile quantum
 22 aurea cum peteret sidera culmen erat.
 23 Quid Capitolino Gallos arcere Tonanti
 24 profuit, hunc finem si tibi fata dabant ?

DE SIXTO PONTIFICE MAXIMO AD ASTROLOGOS

C2_37A v.1 Sidera pontificem perimunt fallacia Sixtum
 2 saepe, sed invito non perit ille polo.
 3 Non perit et Pylium nobis servatur in aevum
 4 ne careat grato Principe Roma diu.
 5 Siderei quotiens mendax speculator Olympi

6 compertum est, "Sixtus cras morietur", ait.
 7 En tibi cras decies fugit, ridetur inanis
 8 fabula, vivit heri qui moriturus erat.
 9 Vivit et astrorum cursus nil respicit, ergo
 10 mentiri totiens desine, turba rudis.

DE EODEM

C2_37B v.1 Marmoreum struxit pontem nunc denique Sixtus
 2 Pontificis vero nomine dictus erit.

AD DOMINUM ANTIOCHENUM SUUM

C2_38 v.1 Si bene matura circumspicis omnia mente,
 2 condicio felix, Antiochene, tua est.
 3 Pontificum Romana tenet quos curia pauci
 4 ingenii larga sunt tibi dote pares.
 5 Pectoris augusta rarus probitate severi,
 6 Caesareo rarus par tibi corde viget.
 7 Astrorum varios melius deprendere cursus
 8 nemo scit eventus sidera quosve ferant.
 9 Doctus amas doctos, virtuti munera fundis
 10 alter es et nostro tempore Tuscus eques.
 11 Hostibus horrendus trepidis, jocundus amicis,
 12 durus si qua geris proelia, pace pius.
 13 Moenia testantur placidi segura Galesi
 14 oppida Romano multa subacta jugo.
 15 Mira quidem res est, haec possidet omnia rarus,
 16 fortunam multi. Cur ? quia caeca dea est.

IN MALEDICTORES DOMINI OLIM CARDINALIS SANCTI SIXTI

C2_39 v.1 Petre, licet de te quaedam mala lingua susurret
 2 jactet et in mores verba canina tuos,
 3 unica fulgebas tu gloria temporis hujus,
 4 aetatis solum tu decus hujus eras.
 5 Te duce jamdudum virtus extincta renasci
 6 ceperat et roseum tollere laeta caput.
 7 Praebebas sacris tu munera digna poetis
 8 Pierium merito numen honore colens.
 9 Cetera cum vulgo doctis tua tecta patebant
 10 et quicumque aliqua praeditus arte foret,
 11 astrologus, medicus, rhetor jurisque peritus
 12 vivebant sumptu, vir venerande, tuo
 13 cumque alii tantum turba laetentur inertis
 14 fautor eras doctis unicus ipse viris.
 15 At quia perverso caelestia numina mundo,
 16 ut video, regnent, ferrea saecula volunt
 17 ignavus Pyllos Thersites vivat ad annos
 18 ullus virtuti ne sit in orbe locus.

AD DOMINUM PAPIENSEM CARDINALEM

C2_40 v.1 Haeserat invitae dudum sententia menti
 2 linqere Pierias, numina vana, deas
 3 quaeque terunt studio vigilatum tempus inani
 4 illecebris animos decipiuntque suis.
 5 Quae vel Smyrnaeo condant fera proelia cantu
 6 exiguum parcae nil nisi laudis habent
 7 cumque toga gelidos opus est quae vestiat artus
 8 <hiem>se trem<esc>ens jam nuda Thalia perit.
 9 Publicus insolito torpentem frigore rumor
 10 excitat et calamos sumere tempus ait.
 11 Unicus Aonidum Ticini praesul amator
 12 ingeniis praestat munera larga bonis.
 13 Cardineum celebrer merita virtute cacumen
 14 obtinet, innumeros cum dea caeca juvet,
 15 divitiis alter Croesus, Cato pectore, sancta
 16 longaeuum superat qui probitate Numam.
 17 Lux igitur lati nebulas clarissimamundi
 18 Pelle, suus doctis restituatur honos.
 19 Diceris immensos studii sensisse labores
 20 exemplum vulgi te decet esse rudis.
 21 Te male vexatas decet instaurare Camenas,
 22 noxia monstratum turba sequetur iter.
 23 Sic tibi post Sixtum (quid enim felicius optem ?)
 24 Pontifici plaudat maxima Roma suo.

AD LEONARDUM GRIPHUM PRAESULEM EUGUBINUM APOSTOLICUM SECRETARIUM

C2_41 v.1 Cui damus, Aonides, epigrammata pauca puellae
 2 ingenio curis edita mille gravi ?
 3 Cui damus exiles elego quos flevimus ignes
 4 carmine, cum patria maestus in urbe forem ?
 5 Non nisi praestanti censemus danda poetae
 6 dicitis, at praestans vilia nullus amat.
 7 Negliget ignotos rudis abjicietque labores,
 8 emeritis laudem qui meruere ferunt.
 9 Vera deas praestat nobis audire monentes
 10 exiguus ne qua sit sine laude labor.
 11 Quocirca, Leonarde, leves cape dulce Camenas
 12 Gryphe, poetarum pontificumque decus
 13 ardua qui Sixti servans arcana beati
 14 nomen Apollineo de grege solus habes.
 15 Utile, si vitio, fuerit mihi discere sive
 16 das laudi, poterat major an ulla dari ?

AD LIBRUM IN PATRIAM PROPECTURUM

C2_42 v.1 Felix o nimium patriam liber ibis in urbem
 2 et domini vises pignora cara tui !
 3 Audierint fratres ubi te venisse poetae
 4 occurrent pariter qua tibi fronte duo.
 5 Nunc minor Aoniis quorum versatur in antris,
 6 major Apollineo munere utroque viget,
 7 quippe Coronides patria velut alter in urbe est
 8 carminaque antiquis vatibus aequa facit.
 9 Hi te gymnasiis deducunt omnibus, hi te
 10 cantatum cupient omnibus esse locis.
 11 Sed quemcumque petes, notus mage proderit auctor,
 12 protinus exclama te, liber, esse meum.

LIBER TERTIUS

QUERITUR QUOD CUM PARUM PRUDENTER PATRIAM DESERUIT
 NUNC ABSENTIS CANDIDAE DESIDERIO MACERETUR

C3_1 v.1 Me cremat absenti procul hinc nova Thestias igne
 2 in Meleagreum se nimis ultra caput.
 3 Uritur accensum fatali stipite pectus,
 4 deficiunt rapida viscera tosta face.
 5 Saevit in exhaustas tabes Nessea medullas
 6 laesa nocet quaedam Deianira mihi.
 7 Dii male quod tanto non ulla est meta dolori,
 8 ad nova sed Tityi vulnera surgit hepar.
 9 Amphitryoniadae mors exorata quietem
 10 attulit Oetaeo post mala multa jugo,
 11 at mihi cum totos virus letale per artus
 12 serpserit invitum vivere fata volunt.
 13 Materies gratae superest amplissima morti,
 14 aegra tamen vivax spiritus ossa fovet.
 15 Saga Cytainis numquid me cantibus ausa
 16 perdere Colchiacis fascinat ulla modis ?
 17 Carmen habet vires, siquidem descendere curru
 18 carminibus vincto Luna coacta potest.
 19 Frigidus ignivomo nihil officit anguis hiatu
 20 arte, retro ad fontes vertitur unda suos.
 21 Caerula turbato decedunt nubila caelo
 22 in medium pluvias fundere jussa mare.
 23 Proposito rapidum torquetur fulmen ab ictu
 24 notaque diffugiens deserit arva Ceres.
 25 Forsitan hic aliquo morbus mihi carmine surgit
 26 et meritum, ut fatear, tanta ruina premit.
 27 Namque ego cur patria potui discedere terra ?

28 Hos animos profugi cur habuere pedes ?
 29 Cur Silis Adriacum placidus me vexit in aequor
 30 perfida nec mediis mersa phaselus aquis ?
 31 Scilicet Ausonias tanti est errare per urbes
 32 ut mea restarit Candida sola domi,
 33 Romanis oculos tanti pavisse ruinis
 34 ut mea lux fuerit destituenda mihi.
 35 Urbis ut immitem sibiit me cura petendae
 36 debuerat Lachesis ponere nostra colum.
 37 At quoniam fuerat nobis irata puella
 38 lentus et in segni corde tepebat amor,
 39 "Cesserunt", dixi, "solitae de pectore flammae",
 40 quam fueram visus laetior esse mihi.
 41 Cymba cito Venetam me remige duxit in urbem
 42 protinus et miserae cuncta parata fugae.
 43 Longum iter hinc celeri Picena per oppida passu
 44 molior ad muros, Martia Roma, tuos.
 45 Nec mora : praeteritum vulnus male sana cicatrix
 46 integrat et magnam caeca favilla facem.
 47 Candida tum maerens in somnis coepta videri
 48 securum vetuit ceu prius esse torum :
 49 et modo virgineo resolutis more capillis
 50 visa mea est misere de levitate queri ;
 51 et modo blanditiis animos mulcere feroces
 52 ut fieret placida lenior ira prece ;
 53 et modo devoto capiti mala multa precari
 54 quae pia surda utinam negligat aure Venus.
 55 Nocte vigil solitam gemitu excutiente quietem
 56 jejunus coepi temnere luce dapes.
 57 Mox iterum macie primos adimente vigores
 58 pallida funereus venit in ora color.
 59 Nota licet reditus celeres via praestet ituro
 60 quoque fui raptus tramite detur iter,
 61 dedecus est nulla ductum ratione reverti
 62 hoc mihi ne temere proposuisse puter.
 63 Adde quod infausto veteris neglecta recessu
 64 forsan amatorem deperit illa novum.
 65 Ut semel aurato furit icta Cupidinis arcu
 66 femina, perpetuum vulnus amoris habet :
 67 alter adest subito vix dum cedente priore
 68 antiqui memorem qui vetet esse proci.
 69 Felix successor nobis quicumque fuisti,
 70 spirabit velis mitior aura tuis.
 71 Tristis in indomita jactabor naufragus unda,
 72 ridebis casus tutior ipse meos.
 73 Illa suos nostro minuit moderamine fastus
 74 ne cadat exemplo spes tibi forte meo.
 75 Tu cupiare olim ne tali errore cavebis
 76 exemplumque trahas a bonitate mea.
 77 Mollis amor quamquam memores ulciscitur iras
 78 arbitrio justas quas putat esse suo,
 79 cui quia servieram puerili miles ab aevo
 80 incorrupta fuit continuanda fides ;
 81 longa forent quamvis dominae fastidia durae,
 82 non tamen iccirco destituenda fuit.
 83 Squalida vidisset lacrimas super ora fluentes

84 Ismara ceu tepido vere per alta nives.
 85 Est aliquid luctu confectos cernere vultus,
 86 rebus enim pietas tristibus acta patet.
 87 Ferrea quod si non potuissent corda moveri,
 88 moribus ut quaedam sunt in amore feris,
 89 finissem gladio miserandae taedia vitae
 90 felicem poenis constituyente modum.
 91 Verum fors aliter statuit mea, morte perenni
 92 angor et est species haec mihi vita necis.
 93 Sum velut exanimum concreto sanguine corpus
 94 et vacua obtusis sensibus umbra volo.
 95 Jam nihil arva juvant petrae me florea fictae
 96 aut sita in apricis vitea rura jugis ;
 97 non castella placet tumulis surgentia laetis
 98 molliter arridet qua Perusinus ager,
 99 non mihi Gymnopodas nemoroso in monte propinquos
 100 consulis aut celebrem visere caede lacum ;
 101 aegrotum exhilarant animum non Thessala Tempe
 102 gratus in adverso est nullus amore locus.
 103 Cum procul absentem nil cura domestica tangat
 104 debitus et patriae sit mihi vilis amor,
 105 cum retrahat fratrum me gratia nulla piorum,
 106 invitum in patriam Candida sola rapit,
 107 nititur Haemonias seu me revocare per artes
 108 et magicis Stygiam viribus orat opem,
 109 sive recordanti veteres absentia casus
 110 excitat, ut quod abest poscere quisque solet.
 111 Fallitur Eoos fugiens qui migrat ad Indos
 112 pulsus ut e sana mente fugetur amor.
 113 Parvus et exigua sub imagine pingitur infans
 114 cui paret lato quicquid in orbe vides :
 115 illo ne pereat lecti quaesita docente
 116 humanum didicit vincla subire genus,
 117 illo quadrupedes latebras stimulante jugales
 118 et volucris nidos optat habere pares,
 119 mutua squamigerum sociant incendia vulgus
 120 flamma nec aequoreas illa veretur aquas.
 121 Credideram volucres humeris quatientibus alas
 122 humano solitum corde volare deum :
 123 has gerit ut toto fugientes orbe sequatur
 124 carpere longinquum neu vereatur iter.
 125 Quis nisi destiterit cito tam pernicibus uti
 126 mors mihi perpetuum sola levamen erit.

AD DOMINUM ANTIOCHENUM SUUM

C3_2 v.1 A superis capiunt cuncti primordia vates,
 2 materiam tractat pagina si qua gravem.
 3 Invocat hic Phoebum coeptis castasve Sorores
 4 quo melius faustum progrediatur opus.
 5 Ast ego non superos caelesti sede ciebo,
 6 imploranda dei numina cuique sui.
 7 Ergo tuum fuerit magno pro numine nomen
 8 praescriptum chartis, Antiochene, meis.

9 Qui si forte leves non dedignabere nugas
 10 inspicere, a studio dum graviore vacas,
 11 nempe ego vix malim summo placuisse Tonanti
 12 quando mihi est uni cura placere tibi.

AD IOANNEM TERDONENSEM

C3_3 v.1 Illa dies prorsus niveo signanda lapillo
 2 contigit alloquium quae mihi dulce dedit,
 3 foedere quae geminos tanto conjunxit amicos
 4 Pirithoum videar nactus ut esse mihi.
 5 Ille refert priscas hac tempestate Camenas
 6 solus et in lingua doctus utraque viget.
 7 Praeterea sacras leges tam novit ut illi
 8 protulerint paucos saecula nostra pares.
 9 Huic igitur, Musae, totum me tradite : dote
 10 insignem tanta cogor amare virum.

PAULI AMANTIS INEPTIA

C3_4 v.1 Paulus habet nummos, urbana palatia, villas :
 2 Paulus homo est bellus, Paulus amore perit.
 3 Omnia cum teneat sola careatque puella,
 4 nil sibi vesanus Paulus habere putat.

AD CYNTHIUM POETAM

C3_5 v.1 Tam faciles nugis doctus modo Cynthus aures
 2 praestitit, intentus tam fuit ille meis
 3 ut mihi Phoebis videar contendere cycnis
 4 Sirenasque mea vincere posse chelys.
 5 Threicii blandas vatis superare querelas,
 6 carmen Arioniae dulce referre lyrae.
 7 Sed licet hoc vates solus sit Cynthus aevo
 8 qui merito Phoebi nomen habere queat,
 9 fallitur et cum sim corvus me credit olorem :
 10 causa, quod est nimio vinctus amore mihi.

AETATIS CELERITAS

C3_6 v.1 Me miserum, praeceps aegris mortalibus aetas
 2 labitur, ut rapidi Thybridis unda fluit,
 3 ut Scythica Boreas properat brumalis ab Arcto,
 4 ut suprema levis fumus in astra volat.
 5 En ego, quem puerum cuncti paulo ante putabant
 6 signaque cui vultus nulla virilis erant,
 7 immutor possint ut me vix nosse sodales,
 8 haerebat lateri quae modo turba meo.

9 Insolitam traxit facies obducta figuram
 10 surgit et hirsutis hispida barba pilis.
 11 Sic modo qui laeti fuimus juvenilibus annis
 12 crastina decrepitos efficit hora senes.
 13 Sic demum incauti post haec deducimur omnes
 14 illuc, unde aliquem fata redire vetant.

AD VICTOREM DELPHINUM APOSTOLICUM PROTONOTARIUM

C3_7 v.1 Certus eram, Delphine, tuos venerande penates
 2 visere cum primum littera lecta tua est.
 3 Et quod debueram servus si quando vacasset
 4 decreram domini limen adire mei.
 5 Invidit fortuna meo contraria voto
 6 implicitum curis detinuitque novis.
 7 Nos modo pontificis longinqua palatia summi
 8 saepe galeriti detinuere patres.
 9 Interea placidae dum venerit hora quietis
 10 Musa geret nostras officiosa vices,
 11 quaeque diu Aonia jacuit sopita sub umbra
 12 incipiet rosidis fila movere lyrae,
 13 praecipue vires animumque habitura canendi
 14 si modo se gratam senserit esse tibi.

AD BERNARDINUM CYLLENIIUM VERONENSEM

C3_8 v.1 Jam prope Castalidum virtus antiqua sororum
 2 Lethaeo roseum meraserat amne caput
 3 nostraque Cirrhaeis Phoebos dilectus in antris
 4 qui coleret vates numina rarus erat.
 5 Horrida Parnasus nullo dumeta colente
 6 Pythia deformem traxerat aula situm.
 7 Ne foret infelix tanto sine lumine mundus
 8 crediderim magnos consuluisse deos.
 9 Exstinctam revocat nostro Cyllenius aevo
 10 quo vix Pieria clarior arte viget,
 11 qui licet ediderint multos haec saecula vates
 12 in toto quemquam vix habet orbe parem.
 13 Antiquum Latio solus revocare decorem
 14 creditur, obtundit cetera turba deas.

CHALCIADIS CYLLENII COMMENDATIO

C3_9 v.1 Chalcis ut eversos Turco populante penates
 2 vidit et hostili cuncta cremata face
 3 indoluit, non quod crudeli caede maderet
 4 foedaque civili tota cruore foret,
 5 sed verita est celebrem Lethaeo gurgite famam
 6 mergere, in ignotum postmodo versa nemus.
 7 Nam neque ceu veteres prisca cecinere poetae

8 casibus his quemquam ferrea saecula dabant.
 9 Consuluit noster damno Cyllenius isti :
 10 desine de nobis, urbs miseranda, queri.
 11 Ille tuas cecinit victuro carmine clades
 12 et tibi perpetuum nomen in orbe dedit.
 13 Si quid enim Aonii valeant praeconia coetus
 14 lugebunt casus tempora sera tuos,
 15 Trojaque ceu nostros phama duravit in annos
 16 fabula venturae posteritatis eris.

AD MICHELEM EPISCOPUM TERDONENSEM

C3_10 v.1 Muta diu tacuit sopito nescia cantu
 2 cui caneret laudes nostra Thalia duci.
 3 Nam licet assiduo celebrarit carmine multos
 4 praemia de magno parva labore tulit.
 5 Excitat hanc Terdona regi quo praesule gaudet
 6 inter pontifices gloria summa pios.
 7 Fama volat tota clari Michelis in urbe
 8 et rarus meritis creditur esse prior,
 9 quem praestet Musis hac tempestate favorem
 10 unus et abjectas non sinat esse deas :
 11 quo modo Fulginium rexit moderamine laetam
 12 praecipuum populus quem vocat ille patrem ;
 13 qualibus ornatam lustravit dotibus urbem,
 14 moenia restituens, atria, templa, forum.
 15 Huic etiam nuper Campania credita fertur
 16 quam regat exemplis instituatque suis.
 17 Quod si digna manent virtuti praemia tantae
 18 clara galerigerum purpura cinge caput.

PAEDAGOGORUM DUORUM CONTROVERSIA

C3_11 v.1 Arguit indoctum Graii sermonis Achillam
 2 Martius, accusat Martion ille rudem.
 3 Mendaces non esse solent ideoque coactus
 4 mentiri neutrum credere jure velim.

AD NESTOREM MALVICIUM EQUITEM HIEROSOLYMITANUM

C3_12 v.1 Tanta tibi est, Nestor, generosi gratia vultus
 2 quilibet ut mores colligat inde tuos.
 3 Fronte superciliis pulchre coeuntibus apta
 4 gloria Malvicii sanguinis alta patet
 5 et facies risu semper distincta sereno
 6 indicium verae nobilitatis habet.
 7 Dii jubeant igitur Pylios serveris ad annos
 8 nomen ut a vera sit tibi sorte datum.

IOCUS PUSILLI HOMINIS

C3_13 v.1 Nanus et a gruibus tenues rapiendus in auras,
 2 ut mereat veram fabula nota fidem,
 3 certam Pygmaea sobolem de gente ministrum
 4 imperat ante suos callidus ire pedes,
 5 ne si non potuit grandes aequare gigantas
 6 si mirum, major pumilione suo est.

AD PONTICUM URBEM NE PETAT

C3_14 v.1 Jugera quod pauper genitor tibi pauca reliquit,
 2 exiguas nullo fenore nactus opes,
 3 insurgit patrios nova linquere cura penates
 4 et procerum fastus pontificumque sequi.
 5 Rara sed ut longis fortuna laboribus adsit
 6 multa ferēs homini vix patiēda prius.
 7 Esuris, at stomachus domini cenare recusat :
 8 exspecta hesternas concoquat ille dapes.
 9 Mille propinaxis varii cum cymbia Bacchi
 10 quaesierit dederis quot gula saeva dapes.
 11 Vaticana bibes, non haec a Thybride tuta ;
 12 opprimet indomitam parca suilla famem.
 13 Est opus insomnem famulos traducere noctem
 14 pervigiles, toto dormiit ille die.
 15 Illius ad nutum labentes protrahis annos
 16 et jus addictum corporis omne tui est.
 17 Haec si ferre potes multo et graviora, paternam
 18 pauperiem melius, Pontice, ferre potes.

AD TIBULLUM RAIMUNDUM CREMONENSEM POETAM

C3_15 v.1 Dum me carminibus tuis requiro
 2 et felicibus inseras libellis,
 3 respondes "Faciam libens" roganti.
 4 Fidum fallere si nefas sodalem
 5 istud dic "Faciam libens" precamur.
 6 Quae lux afferet ? Hora quaeve tandem ?
 7 At ni solvere debitum recusas
 8 jam quaeso propera, Tibulle, nostros
 9 ut cum Mulciber ederit libellos
 10 aut blattae tineaeve perforarint
 11 nugas insipidas, rudes, ineptas
 12 saltem carmine sim tuo perennis.

AD HIERONYMUM FLAVIUM BLONDI HISTORICI FILIUM DECANUM CAESENATEM

C3_16 v.1 Aemula facundi soboles notissima Flavi,
 2 pectora cui patria dote referta vigent,

3 contemnis tenuem nisi, docte Hieronyme, Musam
 4 quem canat in nostro carmine primus eris,
 5 utque sacrum Vates Latii coluere parentem
 6 tu mihi non aliter jure colendus eris.
 7 Ille triumphantem felici tempore Romam
 8 scripsit ut antiquas Livius alter opes.
 9 Nec satis historiae cultus renovasse vetustae
 10 contulit aetati sed quoque multa suae.
 11 Dinumerat latis Italas a finibus urbes
 12 Ausonis et quicquid nobile terra fovet.
 13 Debuerint igitur nostrae tibi jure Camenae
 14 sacraque te tamquam Pythia deinde colant.
 15 Tu quoque vel si non alia ratione moveris,
 16 cogaris saltem nomen amare tuum.

AETAS PRAECEPTA

C3_17 v.1 Primas quam cito rettulit Kalendas
 2 Janus praecipitem remensus annum !
 3 Quam cursu properans nimis citato
 4 bisseos agit hinc et inde menses !
 5 En Florae subitam rosam merenti,
 6 en flavam Cereri damus coronam
 7 en dulci fluitant lacus Lyaeo,
 8 en amnes rigido gelu laborant !
 9 Ver, autumnus, hyems idemque messis
 10 ut Thybris rapidum fluunt in aequor.
 11 At tu, quandoquidem statutus ordo
 12 hic est temporibus ruuntque fata,
 13 laeto, Jane pater colende, vultu
 14 saltem quotquot erunt beatiores
 15 certatim refer annuas Kalendas.

AD CRITICUM, QUIS BONUS POETA CENSENDUS SIT

C3_18 v.1 Optimus et priscis aequandus vatibus audi
 2 qui tibi censeri, Critice, jure queat.
 3 Este procul nimium nitidi nimiumque togati
 4 et quorum digitis aurea gemma nitet.
 5 Nulla domus, vel, si fuerit, sit parva supellex,
 6 ornet Amyclaeam gloria parva casam.
 7 Cantharus urceolique duo Samiumque toreuma
 8 sint satis, ut quisquam lautior esse velit.
 9 Sera nec in summam ducat convivium lucem,
 10 sufficiat stomacho sobria cena levi.
 11 Sed nec equo tumidus, si quo volet ire, vehatur :
 12 longum iter est, pedibus se ferat ipse suis.
 13 Apta nec aestati vestis nec commoda brumae,
 14 conveniens neutri tempus utrumque tegat.
 15 Indigeat semper parva stipe : si quis abundat
 16 divitiis, nostros polluit ille choros,
 17 Anonidum manibus temerat pia sacra profanis :

18 pauperies studium est atque poesis idem.

AD CORRIOLANUM DE PAUPERUM POETARUM EGESTATE

C3_19 v.1 E media vatem si vis cognoscere turba
 2 quaere magis tritam, Corriolane, togam.

IN PERVERSOS POEMATUM CENSORES

C3_20 v.1 Difficile est aliquod laudari carmen ubique,
 2 judicium lector non habet omnis idem.
 3 Quod facile est quidam nimium vulgare vocabit,
 4 obscurum quod erit qui putet esse grave.
 5 Molle quod est tetrici dicent enerve Catones,
 6 nugax multivago flore quod uber erit.
 7 Grandiloquum resonet magno par paene Maroni
 8 ille ait : "Hoc scriptor cyclicus ore tumet".
 9 Ista magis docti jactant vel talia, nomen
 10 dum proprium vitio ponere cuique volunt :
 11 "Nescio quid, ne non tendat rude vulgus eodem,
 12 nescio quid turpis carmen id", inquit, "habet".
 13 Scriptores famam quid jam speremus inanem ?
 14 Quoslibet absentes livida turba notat.

IN CALUMNIATOREM

C3_21 v.1 Nescio quid resonat (inquis) mea carmina turpe,
 2 nec scis quid resonent dicere turpe Cato.
 3 Ignoras nomen culpae dum sic ais, et dum
 4 nescio quid pecco, nescius ipse loqui es.

IN CIVILES DISCORDIAS TUDERTINORUM

C3_22 v.1 Non satis est hostes invadere tristibus armis
 2 et varia humanum caede perire genus ?
 3 Dilaniant miseri sibimet sua viscera cives
 4 inque domos patrias bella nefanda gerunt.
 5 Tecta tremant flammis ultro captiva suasque
 6 externas tamquam depopulantur opes.
 7 Templa profanato temerantur milite foeta,
 8 hic furor intactos ne sinat esse deos.
 9 Heu miseras hominum mentes animalia caeca
 10 privata saltem nescia pace frui.
 11 Poenorum feritas quamvis immensa leonum
 12 non tamen a Lybicis est metuenda jubis,
 13 torva nec Hyrcanas tigris grassatur in oras,
 14 ursorum in latebras nec furit ira suas.
 15 Quod rabidis sic ergo feris natura negavit

16 ipse sibi damnum stultus adoptat homo.

IDEM

C3_23 v.1 Non erat urbs Umbra modo laetior ulla Tuderto
 2 at nunc afflictis tristior est Danais.
 3 Ense ferox valido grassatur in oppida Turcus
 4 Graia, quod imperio sint inimica suo :
 5 ista suum fundit civili Marte cruorem,
 6 quoque magis credit vincere, victa jacet.

QUOD TUDERTUM FUERIT TUDER ANTIQUITUS APPELLATUM
 ET TIFERNUM TYBERINUM CASTELLI CIVITAS

C3_24 v.1 Urbs Tuder antiquis fuerat, nunc illa Tudertum est
 2 estque Tudertinus qui fuit ante Tunders.

AD IOANNEM ANTONIUM CAMPANUM PRAESULEM APRUTINUM

C3_25 v.1 Fama prius latum de te vulgata per orbem
 2 rettulit ingenii munera larga tui :
 3 fons tibi Castalius quales expleret hiatus
 4 exstingui cuperet cum tua forte sitis,
 5 te solum veteres hac tempestate Camenas
 6 neglectosque diu restituisse choros.
 7 Mox data Pierium tua sunt redolentia nectar
 8 plurima quae doctum carmina vulgus habet.
 9 Ex illo gemina fueram ratione coactus
 10 Campani merito nomen honore sequi,
 11 quem sua, quod rarum est, viventem saecula probarent,
 12 emeritum livor nec laceraret edax.
 13 Sola mihi cernenda tui restabat imago,
 14 cui tamquam Phoebos tura Sabaea darem,
 15 quam nunc in medios praeceps licet hora tumultus
 16 attulerit, nec me solvere vota sinat.
 17 Quae sacros potuit nobis ostendere vultus
 18 nimirum felix illa vocanda dies.

SE IPSUM ALLOQUITUR IN CASTRIS

C3_26 v.1 Quid miles rigidis onustus armis
 2 ad laetos solitus venire lusus
 3 incassum totiens deas lacesso ?
 4 Totis sollicitem licet diebus
 5 scribentique precer velint adesse,
 6 horrent belligeros adire casus,
 7 castrenses fugiunt procul tumultus.
 8 Exspectem satius reor, cruentos

9 ut victoria comprimat furores
 10 felix, omnibus expetenda votis.
 11 Sixto pareat insolens Tifernum
 12 nostris cedere viribus coacta,
 13 obstet factio nec Vitelliana,
 14 laetus Anthiochenus et per urbem
 15 devictam praebeat meus cohortes.
 16 Nobis tunc erit otium canendis
 17 molli conveniens lyrae triumphis.

AD GERARDUM FERRARIENSEM DOMINI CARDINALIS
 SANCTI PETRI AD VINCULA SECRETARIUM

C3_27 v.1 Castra Tifernates dum perterrentia muros
 2 jam ferme exacto mense, Gerarde, colis,
 3 tangeris invidia cari fortasse sodalis
 4 quod procul a nobis bellicus horror abest,
 5 concita quod tenues nequeunt tormenta per auras
 6 ulla vel incautum laedere tela caput.
 7 Me canibus densos positis circumdare saltus,
 8 me gelida cervos pellere valle putas.
 9 Falleris, o consors studiorum clare meorum,
 10 ignoras vitae taedia quanta gravis.
 11 Scis quid agam ? Lateo Perusinis solus in antris
 12 haud procul undisonus fluctuat unde lacus,
 13 desertisque locis aegrae solacia menti,
 14 si qua capi possent, te sine nulla juvant.
 15 Quandocumque igitur sejungar longius a te
 16 vivere me vellem non ubi certus eris.

VIATORES PERCONTATUR EX CASTRIS VENIENTES

C3_28 v.1 Ecquis adest castris veniens modo miles ab illis
 2 in quibus assidue mens mihi fixa manet ?
 3 "Fare, age, quid geritur ? Dubiis quis casus in armis ? "
 4 "Strenua letifera cuspide bella cient".
 5 "Nuntia cui palmam praesagit phama futuri ? "
 6 "Pontifici Sixto laurea certa datur.
 7 Urbe Tifernates possunt ne exire recepti ? "
 8 "Obsidio muris insidiosa vetat".
 9 "Dicitur inclusae Cereris quae copia turbae ? "
 10 "Parva nec Augusto mense futura satis".
 11 "Consilio cujus res est ductoris agenda ? "
 12 "Huic operi princeps Anthiochenus adest
 13 quem dea sollicito sequitur victoria passu
 14 sive gerat terra proelia sive mari".
 15 Cedite livores, jam vicinus : ergo triumphans
 16 emeritum virtus est habitura locum.

AD DOMINUM SUUM ANTHIOCHENUM

C3_29 v.1 Suscipiant omnes superi tua vota, sed unus
2 tu mea suscipias, Anthiochene, sat est.

AD PAULUM MARSUM

C3_30 v.1 Redditur incolumis Veneta mihi Marsus ab urbe :
2 Pierides, meritis solvite vota deis.
3 Impia vexatum longo quartana labore
4 liquit et est illi quae fuit ante salus.
5 Aonis eloquitur posita raucedine lingua,
6 purpureo verus flagrat in ore color.
7 Ferrea (quod timui) quem si mihi fata tulissent,
8 ut mihi sic multis vivere triste foret.

AD DOMITIUM CALDERINUM PRO FLACCO HABENDO

C3_31 v.1 Scire velim domito moles velut acta profundo
2 audax Peliaco remige carpsit iter,
3 ut Scythici tumidis innavit Phasidos undis
4 quaeque Apona genitus cetera narrat humo.
5 Quicquid amicorum tota quaesivimus urbe
6 si qua foret vatis copia, nulla fuit.
7 solus at innumeros ut multa latentia nosti,
8 sic tua prae reliquis bibliotheca decet.
9 Quae tenet egregium, Domiti, si forte poetam
10 ne nimis exorem jam scio, noster erit.
11 Major at hoc meriti continget gratia tanti,
12 promptius optatum quo mihi munus erit.

AD DOMINICUM GALLUM APOSTOLICUM SECRETARIUM

C3_32 v.1 Si qua Palatinae vacuo dant otia curae
2 intentum paucis, Galle, tenere velim,
3 cum tibi Castaliae dederint opulenta sorores
4 munera quae paucis et dare parca solent.
5 Cogor Apollinei sanctum mihi vatis amorem
6 quaerere quo quicquam gratius esse nequit.
7 Debuerat, tenuit solus pudor ante volentem,
8 officio fungi nostra Thalia suo.
9 Quod mea rusticitas ne sit culpabilis ultra
10 dona quidem meditor qua tibi grata feram.
11 Obstrepit arguto sed ne rudis anser olori
12 sic timet ut rauco nesciat ore loqui.

AD FRANCISCUM SALVIATUM ARCHIEPISCOPUM PISANUM

C3_33 v.1 Ut tibi successu votorum laeta suorum
 2 plaudit ob adjectum Martia Roma decus,
 3 laetitiae cupidum studio ruit indice vulgus
 4 figat ut in puras oscula sancta manus.
 5 Hic cumulet coeptos orat tibi summus honores
 6 Juppiter, et Pyllo vita sit aequa seni ;
 7 ille preces magno largas fudisse tonanti
 8 ut cito tam felix hora veniret ait.
 9 Temptantem varia exornat facundia quemque
 10 qua fieri possit gratior arte tibi.
 11 Nonne igitur muti culpanda silentia vatis,
 12 praetereat si te nostra Thalia, forent ?
 13 Cujus ut optarem si mens arcana pateret
 14 nulla foret simplex laetaque nulla magis.

AD CYLLENIUM PRO HORATIO RESTITUTO

C3_34 v.1 Vates Aeolii carminis inclytus,
 2 qui primus Latiam transtulit ad Lynam
 3 plectro Lesbiacam barbiton Apulo,
 4 transcriptus celeri denique dextera
 5 aeternae repetat scrinia Chalcidos
 6 Cyllenique decus perpetuum mei,
 7 tantum Maeonia cui tribuat tuba
 8 dictis Euboicae casibus insulae,
 9 quantum multimodis ipse tulit sonis
 10 molles vel Glycerem vel Cinaram canens.

AD LUDI MAGISTRUM

C3_35 v.1 Hoc quoque ne fieri possint epigrammata versu
 2 auctor nemo vetat, tu quoque dicis idem.
 3 Talia sed varius, respondes, nulla Catullus,
 4 talia nec vates Bilbilitanus habet.
 5 Bili parce, precor, ludi stomachose magister :
 6 quod vetitum non est jure licet fieri.

AD BAPTISTAM MORONIUM REATINUM SCRIPTOREM APOSTOLICUM

C3_36 v.1 Exigis Aoniis aliquod tibi munus ab antris
 2 afferat inventi nostra Thalia novi,
 3 atque utinam sinerent curae quibus acta laborat
 4 segnia sopitae fila movere lyrae !
 5 Exul Apollinea rursus temptaret in aede
 6 amissa veteres edere voce sonos.
 7 Nunc quia diverso fortunae fluctuat aestu
 8 ulla nec in portus semita monstrat iter,
 9 sic stupet ut proprii nostrique oblita decoris

10 negligat assueti ferre laboris onus.
 11 Forte aliquis maestam consolatusque jacentem
 12 suadeat ut vires colligat aegra suas.
 13 Sensisset surdos sed si delphinos Arion
 14 mutus et ingratis ille fuisset aquis.

DE INCOMMODITATE SCRIBENDI

C3_37 v.1 Non mea pervigiles consumit Musa lucernas
 2 integer est fessa sed mihi nocte sopor.
 3 Sollicitas nequeo studiis traducere luces
 4 anxietas animum plurima semper edit.
 5 Quaeritur has igitur fundam quo tempore nugas
 6 cum rapiat varius tempus utrumque labor.
 7 Tum celeres manant rivo properante Camenae
 8 libera sumendo cum datur hora cibo.
 9 Tum mihi si qua subit vacuae sententia mentis
 10 scribitur impigra praecipitata manu.
 11 Otia nunc essent sed quae quandoque fuerunt
 12 ingenium nobis, quod fuit ante, foret.
 13 Quo cecini teneros juveniliter ictus amores
 14 et mea quae patrium cetera vulgus habet,
 15 ejusdem vatis sed non et temporis ergo
 16 illa vel haec quisquis legeris esse refer.

AD ILLUSTRISSIMUM PHREDERICUM DOMINI FERDINANDI INVICTISSIMI
 REGIS NEAPOLITANI FILIUM

C3_38 v.1 Regia progenies, genitoris grande verendi
 2 germen et Ausoniae nobile sidus humi,
 3 virgineo quamvis timeat suffusa rubore
 4 iudicium tanti Musa subire ducis,
 5 nota tamen pietas generosi principis illam
 6 tollit, et audaci me facit ore loqui.
 7 Illa verecundae vires animumque Thaliae
 8 praebet Apollineae non aliena lyrae.
 9 Inter enim fereris virtutum rara tuarum
 10 munera Castalias excoluisse deas.
 11 Publica sic totum volitavit fama per orbem
 12 te dea dum celebrem reddit utraque plaga,
 13 scilicet hac series et aviti sanguinis ordo
 14 inclytus excelsa dote carere nequit.
 15 Ne qua tuis summae titulis pars laudis abesset
 16 haec quoque divinis gratia mixta bonis.
 17 Magnanimos sileam proavos ne longior ordo
 18 fiat ab antiqua nobilitate mihi.
 19 Praeteream partos diverso ex hoste triumphos
 20 et tot Aragoniae prisca trophaea domus.
 21 Belligero mihi cura satum Mavorte parentem
 22 sola sit invictum commemorare ducem,
 23 qui seu pace opus est positus mitissimus armis
 24 Itala segura regna quiete regit,

25 seu fera pro patrio sunt bella gerenda decore
 26 non nisi perdomito victor ab hoste redit.
 27 Martia non illo sapientius agmina quisquam
 28 dirigit hostiles insidiasque cavet.
 29 Quo duce Caudino si circumsessa tumultu
 30 usave Cannensi tempore, Roma, fores,
 31 non hostile jugum miles subiisset inermis,
 32 corpora non Lybico caesa tot ense forent.
 33 Parthenopen sceptro domitam tenet ille superbo
 34 totaque quot populos Graecia major habet.
 35 Imperio dubites an prole beatior extet
 36 fortuna tantum juris utraque tenet.
 37 Regnum habet immensis extentum finibus amplum
 38 Oenotriasque suo numine versat opes.
 39 Praeclaram genuit sobolem cui rector Olympi
 40 stellantis cupiat maximus esse pater,
 41 quam dea Gradivo malit peperisse feroci
 42 prole Venus formae conveniente suae.
 43 En tibi quae facies ! Roseo qui fulgor in ore ?
 44 Ambrosias ambit gratia quanta genas !
 45 In te divini majestas sacra parentis
 46 integra ab attonita gente colenda viget.
 47 Miramur sacros humano in corpore vultus
 48 intonsum possint qui decuisse deum.
 49 Dii faveant igitur coeptis, quas tendis ad oras
 50 sidera longinquum fausta sequantur iter
 51 cumque tui reditus felix advenerit hora
 52 incolumis cupido restituare patri.

AD FRANCISCUM AUXIMANUM DOMINI CARDINALIS SANCTI MARCI SECRETARIUM

C3_39 v.1 Nobile Picentis inter novus Auximon urbes
 2 nuper, ut accipio, scriba necesse petat,
 3 cumque locus Latio rarus sit amoenior orbe
 4 laetior aut pinguis fertilitate soli,
 5 digna quidem sedes fessis ea visa Camenis
 6 quam cupiat vates quilibet esse sibi.
 7 Haec tibi pro patrio veluti suscepta decore
 8 cura laboranti quam potes affer opem.
 9 Te duce par longis pelagi jactata procellis
 10 consideat tuto litore nostra ratis.
 11 Delige Palladia Tiphys velut alter in Argo
 12 quo pateant flanti tempore vela Noto.
 13 Exspectat cauti monitus intenta patroni
 14 illa, nec injussum provida carpit iter.
 15 Ergo age, solliciti tutatus jura clientis,
 16 otia da musis protinus ista meis.
 17 Commodus est patriae tibi vir, Francisce, petendus
 18 apta quies nobis : effice utrumque simul.

AD MARIANUM CORDUBENSEM

C3_40 v.1 Frigora cum gelidi tantum mirere decembris
 2 et tibi pro monstro sint, Mariane, nives ;
 3 arentis mirere simul quod tempore juli
 4 torridus exustos aestus hiulcet agros.

AD GELIAM ROMANAM

C3_41 v.1 Cum referas priscam facie praestante Lacaenam,
 2 Gelia, sit similis nulla puella tibi,
 3 nupsisti foedo tanta cum dote marito,
 4 informi et corvo clara columba data es.
 5 Nimirum culpant omnes, sed cauta fuisti :
 6 nullum etenim nuptae dedecus esse gravi.

IOCUS DE IULIA EX MACROBIO

C3_42 v.1 Ederet Agrippae similes cum Julia natos
 2 altera Vulcanum fallere docta Venus,
 3 quaerenti causam respondit callida : "Nam sum
 4 vectorem plena tollere nave memor".

IN LICINIUM TEMERE FORTUNAM INCREPANTEM

C3_43 v.1 Esses dum tenerae magis iuventae
 2 et lanugine delicatiori
 3 suffusas, Licini, genas haberes,
 4 quotquot tunc voluisti erant amici :
 5 nullum tunc hominem tibi putabas,
 6 nullum posse tibi deum nocere.
 7 Ostrinam tumidus togam cinaedus
 8 centum splendidus anulis gerebas
 9 formae praemia foeda prostitutae.
 10 At nunc Gallica quod lacerna pingui
 11 artus obtegit aridos amictu,
 12 nulli commoda tempori, nec aestum,
 13 brumam tollere frigidam nec apta,
 14 monstraris digito miser, nec ulli
 15 junguntur lateri tuo sodales.
 16 Fortunam quereris tibi sinistram,
 17 insontemque, puto, deam laccessis :
 18 invasere pili tuam iuventam.

AD CYLLENIIUM DE REDITU IN PATRIAM

C3_44 v.1 Heu patria veniens cari mihi fratris ab urbe
 2 nuntiat indignam littera maesta necem.

3 Accelerem domus esse suo spoliata magistro
 4 increpat, haec unum pondera cui det habet.
 5 Interea profugi, Cylleni dulcis, amici
 6 impia quem vexant sidera, sume vale.

ITER EX URBE IN PATRIAM

C3_45 v.1 Ducat in Euganeas Latiis a finibus oras
 2 quae via sit melius carmine nota velim,
 3 humanas penetrat carmen quia promptius aures
 4 admissum memori nec cito mente fluit.
 5 Sunt quibus Etrusca libeat regione vagari :
 6 mons ibi, planities me magis aequa juvat.
 7 Ergo tibi in primis urbs Castellana petenda est
 8 quam veteres Veios incoluisse putant.
 9 Cernere erit Manli dictos de nomine muros
 10 quos habet in summo terra Sabina jugo.
 11 Inde ubi vicino Tybris sese objicit alveo
 12 te cito trans altas navita sistet aquas.
 13 Ostriculum celso prospectans Narnia colle
 14 nomen et a fluvio praetereunte ferens,
 15 reliquiisque pontis adhuc clara superbi
 16 Narquinum prisco nomine dicta fuit ;
 17 tum quae sulphurei riguos interjacet amnes
 18 naris, et e causa quam bene nomen habet,
 19 praestat ubi antiquo Tiberea gloria saxa
 20 cursum conspicuis ac epigramma notis ;
 21 spoletum camposque rigans Clitumnus amoenos,
 22 Fulginiae niveos quae facit unda boves
 23 occurrent priscae spatiis distantibus urbes
 24 fluminaque antiquas nota per historias,
 25 qua bene progrediens incommoda nulla reportes
 26 in patriam ut tutas experiare vias.
 27 Moenia Fulginiam subito Nucерina sequentur,
 28 proximus est Gualdum Segeliumque labor.
 29 Hinc Costazanum, Calium Qualania vico
 30 hospitia in celebri non fugienda petes.
 31 Seu libet Urbinum Frederico principe clarum
 32 atria magnanimi visere et alta ducis.
 33 Eximios spectabis equos librosque, paravit
 34 quos bonus ille armis, quos bonus ille toga.
 35 Deducet recta vicus Qualaneius illuc,
 36 tendere seu properas liberiore via
 37 protinus occurrens miro penetrabilis arcu
 38 Flaminium rupes continuabit iter.
 39 Fundamenta premunt rapidum qua prisca Metaurum
 40 Semproni juxta flumen id adde Forum.
 41 Attigimus Fanum fortunae, cymba Pisauro
 42 protinus Adriaco te vehet acta mari,
 43 seu tibi fluctivago tellus magis aequore grata est
 44 tendere Ariminea tutius urbe potes.
 45 Excipiet dictus Caesenaе nomine portus
 46 eminent urbs alto colle videnda procul.
 47 Indiga lympharum divesque Ravenna Lyaei,

48 hinc Padus, inde Athesis trajiciendus erit.
 49 Clodia seu pelago Venetam deducet in urbem
 50 contentum terra seu Patavinus ager.
 51 Tarvisium tangens nativis nobile lymphis
 52 longinquum facilis sic via claudet iter.

RECESSUS EX URBE

C3_46 v.1 Molior aerias, superi, transire per Alpis
 2 ut repetam patrios aeger ab urbe lares,
 3 qui modo me, facinus, Romam visente relictis
 4 funditus eversa pene ruere domo.
 5 Frater enim, fuerat quo tuta domestica vivo
 6 res, obiit pondus destituitque pium.
 7 Ergo sacros aequum si vos servare poetas
 8 saxa mihi tutae sint per iniqua viae.
 9 Arduus inclinet caput Appenninus, et aequo
 10 ad Venetos rectum tramite monstret iter.
 11 Tranet equus rapidi tutus vada crebra Metauri
 12 rapta nimis cursus supprimat unda suos,
 13 ut Tarvisanas ubi venero sospes in oras
 14 suspendam meritis munera digna tholis.

MORA PISAURENSIS

C3_47 v.1 Advehar ut Venetam pelago velocius urbem
 2 cymba Pisaurensi litore sumpta mihi est.
 3 Ecce furit Scythica Boreas violentus ab Arcto
 4 jactatas rapido flumine miscet aquas.
 5 Altera sic cogit discedere causa, morari
 6 altera, sic quid agam nescio nec quid ago.
 7 An quoque caeruleae carmen Nereides optant
 8 quo precer insani desinat ira freti ?
 9 Movit Arionium delphinas nempe recurvos :
 10 hinc reor aequoreos carmen amare deos,
 11 cumque nihil toto sit mundo suavius, expers
 12 Neptunus tanti noluit esse boni.
 13 Aeolus Adriacis Aquilonem immitteret undis,
 14 impediatur cursus jussit ut ille meos.
 15 Insidiis quid opus, rex ponti, talibus in me ?
 16 Dedicat arbitrio se mea Musa tuo,
 17 cum mare reddideris placidum factura merenti
 18 non sit ut invidiae Juppiter ipse tibi.

TRIUM FORMOSISSIMORUM FRATRUM DOMINI OLIM ALEXANDRI PRINCIPIS
PISAURENSIS FILIORUM MIRA CONCORDIA

C3_48 v.1 Prisca Theranneos stupuerunt saecula fratres
 2 corpora in unanimi mente fuisse duo,
 3 nec minus egregiae florem mirata juventae

4 candida cui poterat cedere victa soror.
 5 Tempora sed majus specimen modo nostra tulerunt :
 6 conticeat priscum fabula vana decus.
 7 Tris simul en facie similes et amore, Pisaurum,
 8 cernis, Alexandro de genitore satos.
 9 Ergo cum Pylium gestis felicibus aevum
 10 aequarint Lachesi continuante colum,
 11 Juppiter, ut Geminos supera regione locasti
 12 sideribus meritos tris simul adde tuis.

AULA A DOMINO CONSTANTIO ILLUSTRATA PISAURENSIUM PRINCIPE CONDITA

C3_49 v.1 Inclytus Augustam nobis Constantius aulam
 2 Caesarea tangens sidera mole dedit.
 3 Principe quo nimium felix laetare Pisaurum :
 4 quod potuit decori praestitit ille tuo,
 5 restituit privata prius collapsa novasque
 6 erexit vacua civibus urbe domos,
 7 templa, vias, muros, turris, fora, compita, portas
 8 struxit, et in formam cuncta redacta novam.
 9 Composuit mores quorum nunc unicus ille
 10 cultor in Ausonio creditur esse solo.
 11 Nunc etiam viridi post tot bene gesta juventa
 12 magnanimum tetigit cura suprema ducem.
 13 Tollere Tarpeio parat aemula tecta tonanti
 14 quae medio cernis surgere celsa foro,
 15 quae super aereo licet aurea culmine tendant
 16 sidera, sunt domini mente minora tamen.

AD NYSAM AMICAM

C3_50 v.1 Sponte prius dederas, poscenti, Nysa, negasti
 2 deficeret longa cum mihi lingua prece.
 3 Tanta sed illata est ex hoc injuria fastu
 4 ut te vix salvam deinde videre velim.
 5 Nulla fuit, seu parva quidem, quae contigit ultro
 6 gratia, nunc odium te renuente grave est.
 7 Disce sed, ut fatuos melius modereris amores :
 8 quod rogo da, sed quod non rogo, Nysa, nega.
 9 Gravior est quaecumque venit votiva voluptas,
 10 insperata minus gaudia nempe juvant.

SOMNIUM FELIX EX CANDIDA

C3_51 v.1 Dii superi, regina Venus, pharetrate Cupido,
 2 quam subiit felix hac mihi nocte sopor !
 3 Qualia sopitum mulserunt gaudia pectus,
 4 quanta quies votis saepe petenda meis !
 5 Somnus enim lassos placidus perrepserat artus
 6 cum foret exactum jam prope noctis iter.

7 Visa jacens nexis circum mea colla lacertis
 8 Candida jam fastus paenituisse trucis.
 9 Mille dehinc tremula figens mihi basia lingua,
 10 Mille modis animam dilacerare meam,
 11 ense velut blandis trajecto corde susurris
 12 seminecem nimio cogere amore mori.
 13 Magna fuit, non vera quidem nec plena voluptas,
 14 Candida quam vultus obtulit umbra tui.
 15 Quod si te dederis vera sub imagine tandem
 16 unus ero felix et deus unus ero.

EXPURGATIO SUPERIORIS LASCIVIAE

C3_52 v.1 Molles scribere me nimis libellos
 2 jactat Zoilus et Catoniana
 3 versus fronte legit parum severos.
 4 Sit vobis male, pessimi Catones :
 5 nunquid creditis esse me spadonem ?

EPITAPHIUM THADDAEI MEDICI FRATRIS

C3_53 v.1 Hic tegor undecima nec adhuc trieteride raptus
 2 Thaddaeus miserae prima ruina domus.
 3 Temptarunt diversa pii medicamina fratres
 4 usque et inexpertum praeteriere nihil.
 5 Denique letalis vicit vis invida morbi ;
 6 caelum animam, genitrix terra cadaver habet.

IOANNIS FRATRIS POETAE

C3_54 v.1 Quod mea tam celeres secuerunt stamina Parcae
 2 atque intercisos praecipuere dies,
 3 proposita nobis nil est ratione dolendum,
 4 principiis partes restituere suas.
 5 Deterior cessit matri pars ossea terrae
 6 spiritus auctori redditus estque Deo.

BERNARDINI MEDICI AC POETAE FRATRIS

C3_55 v.1 Immortale mihi nomen statuere Camenae
 2 lataque Paeonia pluribus arte salus.
 3 Condidit insigni pietas fraterna sepulchro
 4 Elysia felix umbra quiescit humo.
 5 Sed mea quod tetricae ruperunt fila sorores
 6 in me jam poterunt juris habere nihil.

BERNARDINI CYLLENII OBITUS

C3_56 v.1 Occidit ille meus viridi Cyllenius aevo
 2 quo mihi non Romae junctior alter erat.
 3 Rumor ab infausta veniens ita rettulit Urbe :
 4 divinum juvenem pestis acerba tulit.
 5 Atque utinam mendax tenues vanescat in auras
 6 et fuerit populi fabula vana levis !
 7 Utque prius Marsum falso periisse relatam est,
 8 sic careat vera nuntius iste fide.
 9 Si tamen hoc tetricae scelus admisere Sorores
 10 Atropos et stamen rupit iniqua tuum,
 11 quod pro te possum, comes o jucunde, precari
 12 sancta quies animae sit sine fine piae.

EPITAPHIUM EIUSDEM

C3_57 v.1 Verona est genitrix, nomen Cyllenius, urnam
 2 Roma dedit, famam Chalcias ; astra colo.

ALEXANDRI ET IOANNE FRATRE NEPOTULI IN INFANTIA DEMORTUI LAMENTATIO

C3_58 v.1 Blande nepos, teneris patruo praerepte sub annis
 2 Nestoreos infans vivere digne dies,
 3 quis deus invidit mihi te ? Quae sidera ? Quae fors ?
 4 Heu quam praecipiti cor mihi morte voras !
 5 Parcius hoc obitu fraterno nempe dolebam
 6 extincti pignus quod mihi fratris eras.
 7 Et quamvis eversa domus radicitus esset
 8 sperabat vivo te tamen illa satis.
 9 Dura sed invidit mihi te fortuna, quod unam
 10 materiem vitae cerneret esse meae.
 11 Tris prius abstulerat quamquam saevissima fratres,
 12 terna tamen forti vulnera mente tuli.
 13 Praeteritas propior curas jactura recenset
 14 sola, velut desint cetera magna nimis.
 15 Ingenium fuerat patrius tibi, parve parenti,
 16 dona Bononigena non aliena domo.
 17 Forma decens, animus mitis, facundia dulcis,
 18 omnia quae Phoebos digna parente forent.
 19 Quae quia crudeli mors immatura ruina
 20 sustulit et spes est omnis adempta mihi.
 21 Elysio manes patrios scrutare sub antro :
 22 cum reliquis illic fratribus ille sedet.
 23 Hi quid agam quaerent si quis post funera sensus
 24 restat, et extincto corpore si quid habent.
 25 Fratribus orbatum caris censuque paterno
 26 me dices aegre vivere, malle mori.

SE IPSUM ALLOQUITUR ISTORUM TEMPORUM MORES INCREPITANS

C3_59 v.1 Verte animos molles et vivere disce, Bononi,
 2 hujus ut aetatis saecula nefanda petunt.
 3 Dissimula simulaque dehinc quaecumque loqueris,
 4 quicquid ages, ficta simplicitate vafer.
 5 Omnibus arride, nulli convicia dicas,
 6 crimina censura nulla reprehende gravi.
 7 Oderis, at verbis inimicum affare benignis,
 8 indicet affectus semita nulla tuos.
 9 Nemo tibi tanto jungatur amore sodalis
 10 pectoris arcanum norit ut omne tui.
 11 Ista parum servare tibi est ut publica fortis
 12 esse animi credat turba paremque sibi.
 13 Quod si forte audes animo majora virili
 14 concipere atque aliquod nomen habere cupis ?
 15 Falle, rape, insulta, viola, furare, tonantis
 16 fulmina, caelicolas neu vereare deos.
 17 Sacrilegus, homicida, latro, perjurus, adulter
 18 nullum intemptatum postmodo linque nefas.
 19 Nil tibi praeteritos actum probitate per annos
 20 adversis pietas offuit ista deis.
 21 Protinus ut tales servare assueveris artes
 22 succedent votis cuncta petita tuis.
 23 Divitias, sublime ferēs ita nomen, honores :
 24 eia age, quid cessas ? Vivere malo miser.

AD IANUM

C3_60 v.1 Me mala jocundo commisit lingua sodali,
 2 Jane, palam nostros exposuitque jocos.
 3 Acriter inde mihi carus succenset amicus
 4 inque eadem pariter suspicione sumus.
 5 Expurgata mea est injuria, dum tamen omnes
 6 concordī comites voce loquamur idem.
 7 Fac pateat stolidus nugarum protinus auctor
 8 Nostra nec ut fuerint seria verba refer.
 9 Sic facile innocui veniam nos, Jane, feremus,
 10 ille sua poenas pro levitate dabit.

AD MAGNAM HELENAM AMICAM

C3_61 v.1 Visa repente mihi nec opinio territa casu
 2 magna meos Helene concidit ante pedes,
 3 altaque sublata clamans ad sidera voce
 4 se miseram, exanimem terque quaterque vocat.
 5 Signa verecundi sunt haec manifesta pudoris,
 6 virgineo micuit talis in ore rubor.
 7 Nunc mihi magna Helene, nunc digna videris amari,
 8 sic utinam videar dignus amore tuo !

AD DOMINUM IOANNEM PRAESULEM VALADINENSEM
INVICTISSIMI MATTHIAE PANNONUM REGIS LEGATUM

C3_62 v.1 Regius advenit nostras legatus in oras
 2 Campanos fines Parthenopenque petens,
 3 Pannoniae sequitur pubes quem laeta potentis,
 4 magnanimo pompa conveniente duci.
 5 Nuda per intonsi sparguntur colla capilli
 6 vincat Apollineas ut decor iste comas.
 7 Longior accedit talos hinc vestis ad imos
 8 purpureo antiquae murice tincta Tyri.
 9 Pars autem vernis harum viret aemula pratis,
 10 pars violas habitu versicolore refert.
 11 Delecti praeaeunt proceres, maturior aetas :
 12 miratus dicas : "Caesar hic, ille Cato est".
 13 Quos superans gravitate omnes Valadinus heros
 14 ornetur dubium est ornet an ipse magis.
 15 Dispositas tali mirum spectare cohortes
 16 ordine, distinctas dux ita quisque regit.
 17 Quid referam similes tibi, Cyllare? Quemque peremptum
 18 rex Macedo in nomen transtulit urbis equos.
 19 Felix o tantis conjux ducenda triumphis
 20 stirpis Aragoniae dulce, puella, decus,
 21 Lucina egregiam sobolem paritura favente
 22 magnanimus cui rex gaudeat esse pater,
 23 utque feros acri Turcos Mavorte fatigat
 24 intrepido in pugnam cominus ense ruis,
 25 ingenuos ex te felix Regina nepotes
 26 suscipiat patrias qui tueantur opes,
 27 materni memores qui sanguinis atque paterni
 28 imminuant vires, trux Othomane, tuas.
 29 Quo feror ? Hoc humero pondus majore levandum,
 30 regius a magno vate canendus Hymen :
 31 nos sumus exiles nec tanto munere digni,
 32 numina sunt paribus magna canenda modis.
 33 Contigerit votiva dari cui gratia fama
 34 victurum priscos auguror esse choros,
 35 quaeque Dicearchis regi regina tremendo
 36 nupserit, ore frequens posteritatis erit.
 37 Interea nostrum placido, pater inclyte, carmen
 38 excipe quo vultu talia dona capis,
 39 Naiadumque moras fontana lentus in urbe
 40 dum trahis irriguum Tarvisiumque colis.
 41 Sume meas tibi se quae dedunt ecce Camenas,
 42 magnanimae parvum munera mentis opus.
 43 Croesus opes aurumque ferat, det carmina Codrus,
 44 munera fortunae qualiacumque suae.
 45 Haec tamen antiqui coluerunt munera reges
 46 magnorumque hederarum cura fuere ducum,
 47 perdomito si quis remeasset victor ab hoste
 48 crediderat partum nil sine vate sibi.
 49 Ergo Scipiadae magno rudis Ennius haesit
 50 dum canit heroa bella Latina tuba.
 51 Dive nec aeternum sprevisisti, Auguste, Maronem

52 carmine dum proavos conderet ille tuos ;
 53 dumque sub Hispano victas Stilicone cohortes
 54 concinit et fusos Claudius ire Getas
 55 inclyta mandari laetatur Honorius acta
 56 Pieriis princeps non peritura modis,
 57 et merito, cum sacro nil<um> carmine majus
 58 aeternumque magis maximus orbis habet.
 59 Consulibus quid bella forent pugnata vetustis
 60 Ennius antiquas ni canat urbis opes ?
 61 Quid nunc Troja foret Trojaeque ab origine Caesar
 62 ni fera cantasset bella virumque Maro ?
 63 Bella per Emathios plusquam civilia campos
 64 edita Lucano scire docente datum est.
 65 Silius arma quibus caelo se gloria tollit
 66 Aeneadum et durum concinit Hannibalem,
 67 Flaccus prima deum magnis freta pervia nautis
 68 Aesoniumque ducem fatidicamque ratem.
 69 Efficiunt igitur sacri, pater alme, poetae
 70 perpetui vivant fortia gesta ducis,
 71 quaeque sat exiguum fuerant peritura per aevum
 72 contempta valeant vivere morte diu.
 73 Ergo quod officium sacri laudabile vatis
 74 perpetua est hujus fama futura viae,
 75 et cum Pannonias remearit sospes in oras
 76 Daunias incolumi te comitante dea,
 77 per Venetas magis atque magis celebraberis urbes
 78 nomen et Oenotrio vivet in orbe tuum.
 79 Matthias domitor Turcorum vivet et omnem
 80 fusa per Italiam gloria regis erit.
 81 Nec minus Herculeae virtus notissima dextrae,
 82 tendere qua ad superos dicitur ille polos.
 83 Forma, genus, regnum, caelesti numine digna
 84 humano clausum quod puto corde gerit.
 85 Quo male fidentes pedibus suadente phalanges
 86 Turcorum fundens oppida Mysa capit.
 87 Non eget haec aliquo praeter victoria teste,
 88 ante oculos Itali Martia praeda datur.
 89 Cernite captivos regique applaudite Turcos
 90 qui nos a saevo non sinit hoste premi.
 91 Id tamen exiguum si cui majora parantur,
 92 certa domi virtus degere nescit iners.
 93 Confestim majore feras molimine gentes
 94 opprimet, hostilem depopulatus humum,
 95 additus et patribus Venetis comes, intima Thracum
 96 viscera temptabunt ulteriusque solum.
 97 Oppida victrici vastabunt classe marina
 98 imperium lati qui tenuere maris,
 99 augebuntque novis Veneti jam parta trophaeis
 100 sic valide est terra res et agenda mari.
 101 Clarius haud Liber devictis nomen ab Indis
 102 aurea cum peteret sidera nempe tulit,
 103 non ferus Alcides saevae cum monstra novercae
 104 vicerat ambobus quam nova palma dabit.
 105 Interea faustis avibus regina petatur
 106 conjugium cupiens regis adire sui.
 107 Deinde iter in patriae felicia regna remensum

QUERITUR CANDIDAM SUAM FIDEI DATAE IMMEMOREM ALTERI NUPSISSE,
 QUOD CUM LENAE CONSILIO FACTUM PUTET, MALUM IN EAM PRECATUR

C3_63 v.1 Pierides, vestri casus lugete Bononi :
 2 traditur indigno Candida nupta viro.
 3 Illa meam demum fallax spem fecit inanem
 4 et mihi femineis sunt data verba dolis.
 5 Illa meos alii donavit perfida crines
 6 quos totiens auro diximus esse pares.
 7 Sideribus geminis oculos conferre solebam,
 8 en oculos alii tradidit illa meos !
 9 Me sine muneribus tantis ergo iste fruetur
 10 et sine dilecta conjuge solus ero.
 11 Oscula nectareis igitur feret iste labellis
 12 rapta nec Hyblaeis inferiora favis.
 13 Rustica Mygdonio connectet brachia collo
 14 felicisque feret gaudia prima tori ?
 15 Ast ego perpetuas fundam sine fine querelas,
 16 accipient luctus noxque diesque meos.
 17 Longa per insomnes ducam suspiria noctes
 18 praedaque erit rabidae nostra puella ferae,
 19 quae totiens nobis sanctam testata Cytheren
 20 pollicita est : "Conjux tu mihi solus eris.
 21 Ante canes rabidi lacerent mea viscera, tellus
 22 vulneribus fiat sanguinolenta meis,
 23 dilecti numeris dudum cantata Bononi
 24 Candida quam vatis desinat esse sui".
 25 Ecce leves rapiunt promissa per aethera venti,
 26 rupit femineam mobilis aura fidem.
 27 Quam levis in putri vibratur canna palude
 28 siccaque veloci cedit arista Noto,
 29 et quam populeae ventoso murmure frondes
 30 quamque procellosae diripiuntur aquae,
 31 tam cito solvuntur muliebris foedera linguae
 32 firma nec in sancta permanet ulla fide.
 33 Heu mihi, nocturnis quid profuit ire tenebris,
 34 quid caput innumeris exposuisse malis ?
 35 Quid tolerasse famem jejuno corpore longam,
 36 astarem clausas dum vigil ante fores ?
 37 Quid foribus capiti demptas posuisse coronas,
 38 carmen et in media continuisse via ?
 39 Quotiens timui rabido latrante molosso
 40 latratus causam ne mala nosset anus !
 41 O quotiens ausus medios transire per hostis
 42 evasi strictas in mea fata manus !
 43 Ibam nocturnis vitam positurus in armis
 44 ut peterem dominae limina surda meae.
 45 Audaces juvat alma Venus, non ulla verebar
 46 vulnera collato cominus ense pati.
 47 Si mihi per pluvias fuerat ventosque petenda
 48 Candida, non venti, non gravis imber erat.
 49 Si Phaethonteis arsisset in ignibus aether

50 flamma rapax nostrum non tenuisset iter.
 51 Deucalionem sprevissem nubila nimbi,
 52 nulla foret coeptam causa morata viam.
 53 Gaudia sperabam post tantos quanta labores !
 54 Obstitit, heu, votis fors inimica meis.
 55 Felix qui potuit nitidos contemnere crines
 56 sensit et aligeri vulnera nulla dei !
 57 Illa potest somno longas consumere noctes
 58 atque hilari gratos ducere mente dies.
 59 Illum nullus amor longinquos mittit in agros,
 60 nec miserum aestivis solibus ire jubet.
 61 His ego liber ero, patiar sed plura, nec ullus
 62 in patria juvenis tristior alter erit.
 63 Conquerar insano primae vix nota juventae
 64 tempora veloci praeteriisse pede.
 65 At cum sacrilegae repetam perjuriam linguae
 66 et velut invisum nupserit illa proco,
 67 femineas dicam victuro carmine fraudes
 68 et mala quae caeco raptus amore tuli.
 69 Interdum Musis illam coluisse pigebit
 70 atque auro croceas praeposuisse comas,
 71 Sithoniis similes nivibus dixisse lacertos
 72 labraque Paestanis aequiperasse rosis.
 73 Sed neque paeniteat faciem laudasse superbam
 74 Italae cui numquam protulit ora parem.
 75 Sola mihi sagae nocuerunt verba malignae,
 76 ingenium praestans virginis ante fuit.
 77 Illa nefas tantum numquam fecisset at, heheu,
 78 assidua movit callida lena prece.
 79 lena, precor, meritas tanto pro crimine poenas
 80 impia des rabidis dilanianda feris.
 81 Tristibus at demum ponenda est meta querelis,
 82 jactura haec aequa mente ferenda tibi est,
 83 jamque suam fessae metam tetigere quadrigae
 84 estque fatigatum ponere tempus equum.

LIBELLI EDITIO

C3_64 v.1 Castigantis adhuc impatiens morae
 2 gressu quo properas praecipiti, liber ?
 3 Accensus stimulis et face gloriae
 4 dum privata tenes scrinia quae latet
 5 festinae acceleras num quid iter fugae ?
 6 Nimirum haec animos decipit improbos,
 7 metiturque nihil quam libet arduum.
 8 Ductores animae nil memores suae
 9 fervens haec acies in medias agit.
 10 Audaces eadem per freta navitas
 11 junctos impavido misit Iasoni,
 12 virtus aequoreas temneret ut minas.
 13 I felix : veniam jam tibi do, liber.

EXCUSATIO AD LECTOREM

C3_65 v.1 Si quid in his fuerit, lector, juvenile libellis
2 aetatem censor, disce : benignus eris.
3 Quattuor impleram primae vix lustra juventae
4 mollia cum populo scripta legenda dedi.
5 Magna sed ausurum duri fregere labores
6 ne canerem paribus Martia gesta modis,
7 Attila neu Venetas per me deductus in oras
8 caedibus et flammis obvia cuncta daret.
9 Ilias haec nostra est Aeneis Achilleis atque
10 Thebais ! Hanc metam gloria nostra tulit.